



STEVENSON  
Smithsonian  
Mycological  
Institution LIBRARY

79-2

Ms. Let. in Urdu being published  
by Arnold's Handwritings.

Oct  
13

78



DE  
**C L A D O N I I S,**  
DIFFICILLIMO  
**LICHENUM GENERE,**  
**COMMENTATIO NOVA;**

AUCTORE

*John Elstevianus*  
**HENRICO GUSTAVO FLOERKE,**  
PHILOS. DOCTORE,  
HISTORIAE NATURAЕ ET BOTANICES IN LITERARUM  
UNIVERSITATE ROSTOCHIENSI PROFESSORE P. O.  
HORTI BOTANICI DIRECTORE, SOCIETATUM PLUR.  
LITT. SODALI.

---

**R O S T O C H I I**  
APUD STILLERUM, BIBLIOPOLAM AUL.  
IN COMMISSIS.

---

**M D C C C X X V I I I .**

# ЭПИОДЫ

OPINIONES

# ИАНИЛ-МИЯНОУ

# АНОИ ОГЛАТИЯНІК

И И О Т О У А

# ДИАЛОГ ОУЧІВСТВОВАННЯ

Листою зоден.

И МАСТЕРСТВО ПОСЛЕДНЕГО ВЪЗРОЖДЕНИЯ  
СТАЛО ВЪЗДѢХОМЪ ДЛЯ СОВѢРШЕНІЯ  
СВѢТЛЫХЪ ПРИЧЕСОВЪ.

## ІНОУГОЯ

ATUD' ASTRALIUM, HISTORIÆ ET  
EX COMMISSIONE.

MDCCCLXVII

## PRAEMONENDA.

**C**ladoniarum et in primis scyphiferarum familia omnium certe Lichenum difficillima agnosci debet, ob duplicem specierum formam, pyxidatam et fruticulosam. Lichenologi omnes eximii, ipse Hoffmannius et Acharius, formae alterius specimina, scilicet Lichenes cornutum, radiatum cet. semper in numero specierum genuinarum habuerunt, quamquam ne varietatis quidem, proprie sic dictae, dignitas et nomen eis debebantur. Hinc Cladoniarum studium maximis succumbebat impedimentis, et botanici ab eo deterrebantur.

*John a. Lawrence*  
Postquam plures hujus familiae indagatione annos consumseram, perspexi, Cladoniarum dispositionem, adhuc usitatam, magnam partem funditus esse reformatam et corrigendam. Sententia mea, argumentis perspicuis in commentationibus nonnullis demonstrata, in summa omnibus comprobata fuit. Multum tamen abest, ut lichenologi recentissimi omnes inter se consentiant. Commentationem itaque novam scripsi, ad dissensionem, si fieri poterit, tollendam.

Quod nomen attinet genericum, libenter viros clarissimos Sprengelium, Meyerum, Schaeererum sequor, qui nuperime nomen, jam pridem ab Hoffmannio electum, CLADONIAE nempe, iterum adoptarunt, rejectis aliis, interea usitatis, CENOMYCES Achar., ut minus congruo, et CAPITULARIAE Floerk., verbo sesquipedali. Cladoniae nonnullae, scyphiferae scilicet, quae statu primo simplicissimae sunt, re vera saepissime per quam ramosae fiunt, ideoque jure Cladoniis adsociandae.

Character Cladoniarum genericus parum vexatur difficultibus, cum familia haecce perquam singularis et naturalis sit. Specierum definitio certa, adhuc perquam incerta, hoc tempore caput rei videtur, ideoque omnem in eam impendi curam.

Synonyma pauca tantum elegi, relictis plurimis aliquanto dubiis, scientiam lichenologicam confundentibus.

Species, ab Achario olim stabilitae, partim, ut erroneae, delendae erant. In synonymorum numerum recedunt.

Species, varietates et sic dictae subvarietates formaeque, in tractu Rostochiensi indigenae, asterisco praeposito notatae sunt.

## **CLADONIARUM** **CHARACTER GENERICUS.**

Sporocarpium orbiculatum submarginatum demum  
convexum capituliforme subinane, podetio  
fistuloso suffultum.

### **SECTIO PRIMA:**

*Cladoniae clavatae.*

(*Pycnothelia et Helopodia Acharii.*)

Thallo subcrustaceo vel folioso, podetiis cylindricis  
subsimplicibus apice integris vel divisis fructiferis.

\**Sporocarpis fuscis.*

\*1. **CLADONIA papillaria:** podetiis cylindrieo-  
ventricosis gibbosis glabris albidis simplicibus  
ramulosisque, ramulis in papillam obtusam  
fuscam desinentibus; sporocarpis marginatis,  
demum convexis globosisve congestis rufo-fuscis.

*Cladonia papillaria.* Linn. System. Veget.

ed. Spreng. Vol. IV. P. I. p. 270.

*Cenomyce papillaria.* Sommerfelt. Sup-  
plement. Flora Lappon. p. 153.

**Cenom.** papillaria. **Achar.** Synops. lichenum p. 248. **Ejd.** Lichenograph. univ. p. 571.  $\alpha.$  et  $\beta.$  molariformis.

**Cladonia** Papillaria et var. molariformis Hoffm. Deut. Flor. 1795, p. 117.

**Icon.** Dillen. Histor. musc. t. 16. f. 28.

**Exsicc.** Sommerfelt. Plantar. cryptog. Norvegicarum Cent. I. no. 74.

Habitat ad terram turfosam et limosam in ericetis Germaniae, Galliae, Helvetiae, Sueciae, Norvegiae. (Inter pagulum Marggrafenheide et Sinum Codanum in ditione Rostochiensi).

**Descript.** Thalli granula albida arcte terrae adhaerent eamque obtegunt. Podetia saepissime vix semilineam longa subglobosa inflata sterilia, apice fusco-papillata, lichenem cornutum speciei quasi exhibentia. Fructificantia trium linearum ammo, at rarissime, unciale habent magnitudinem. Ab initio glaberrima sunt; aetate corrupta nodulis granulisque adsperguntur.

\*b. *stipata*: podetiis brevibus crassiusculis divisis glabris, e virescente cinereo-albidis, ramis stipatisime ramosis, ramulis cylindrico-ventricosis globosique, apice fusco-papillatis, omnibus sterilibus.

Hab. ad terram sabulosam umbrosam in pinetis.

(In silva „Damerow“ dicta prope pagum Barnsdorf in ditione Rostoch. rarissime).



*Descript.* Podetia semuncialia  $\frac{1}{2}$ —1 lin. crassa.  
Ramuli innumeri subfastigiati.

\*2. *CLADONIA delicata*: thalli foliolis erosolaciniatis, laciniis angustissimis margine granulato-pulverulentis; podetiis gracilibus, foliolis squamulis granulisque adspersis pallidis, apice divisis, ramis brevibus subincrassatis; sporocarpiis minutis confertis congestis fuscis.

Cladonia parasitica. Linn. System. Vegetab.  
ed. Spreng. Vol. IV. P. I, p. 272.

Cenomyce delicata. Flörk. Deut. Lichenen.  
II. p. 10.

Cenom. delicata. Achar. Synops. lichenum.  
p. 274. Ejd. Lichenograph. univ. p. 569.

Baeomyces quercinus. Pers. ap. Uster.  
in Annal. der Botan. St. VII. p. 69.

Cladonia parasitica. Hoffm. Deut. Flor.  
1795. p. 127.

Cladoniae squamosae var. coronata. Hoffm.  
l. c, p. 125. (exclus. synon. Dillen.) secundum specimen, a Celeb. Persoonio benevole missum.

Icon. Hoffm. Enumerat. lichenum. t. 8. f. 5.

Lichen parasiticus.

Exsicc. Flörk. Deut. Lichenen. n. 36.

*Exsicc.* El. Fries. *Lichenes Suec.* exsiccat.

no. 54. *Cenomyce delicata*. (Specimina juniora et adhuc parva.)

Ehrh. *Plant. crypt. exsicc.* Dec. XXV.

no. 247.

Hab. ad corticem et truncos arborum subputridos praesertim quercinos, in Germania, Gallia, Suecia etc. In sylva „*Rostocker Heide*“ haud rara.

*Descriptio.* Podetia variant a linearis usque ad unciam magnitudinem et quandoque crassitatem pennae anserinae attingunt. Superficies eorum primum glabra, deinde in longitudinem costata fissaque adparet, foliolis angustissime lacinulatis squamisque dense obtecta.

\*5. *CLADONIA caespiticia*: thalli foliolis lobato-laciiniatis, laciniis margine eroso-crenatis granulatisque; podetiis brevissimis in longitudinem costatis glabris albidis, apice dilatatis divisisque omnibus fructiferis; sporocarpiis explanatis confluentibus l. conglomeratis fuscis.

*Cladonia fusca.* Linn. *System. Vegetab.* ed.

Spreng. Vol. IV. P. 1. p. 271.

*Cenomyce caespiticia.* Achar. *Syn. lich.*

p. 247.

*Cenom. epiphylla* et var.  $\beta$ . *caespiticia*. Ejd.

*Lichenogr. univ.* p. 527.

Capitularia caespiticia. Flörk. in Weber.

et Mohr. Beytraeg. II. p. 277. ~~ad hypoxanthum~~

Baeomyces caespiticius. Pers. ap. Uster.

in Anhalt d. Botan. St. VII. p. 255. (secundum specimen, ab Ipso missum).

Baeomyces epiphyllus. Achar. Method.

p. 325. (secundum specimen, ab Achario ad Wildenovium missum).

Cladonia fusca. Hoffm. Deut. Flor. p. 127.

Lecidea demissa. Sprengel. Flor. Hal.

1806. p. 321. n. 1309. ~~ad hypoxanthum~~

Icon. Hoffm. Enum. lich. t. 8. f. 4. Tuberularia fusca. ~~ad hypoxanthum~~

Wulfen ap. Jacq. in Collect. IV. t. 7. f. 3.

Lichen lagariciformis. ~~ad hypoxanthum~~

Dillen. Histor. musc. t. 14. f. 2. (mala).

Exsicc. Schrad. Samml. krypt. Gewächse.

no. 133. Lichen. symphycarpus.

Ehrh. Plant. crypt. exsicc. no. 267. Lichen

symphycarpus. (Partim. Cf. Weber.

et Mohr. l. c. p. 278.). ~~ad hypoxanthum~~

Hab. ad terram et ad truncos putrescentes in

silvis et ericetis Germaniae, Angliae, Sueciae

etc. (Prope Meyer's Hofstelle in silva „Ro-

stocker Heide“, at rarius).

Descript. Thalli foliola in caespitem congesta

pallide viridia subtus albissima nuda. Podetia

hingt in  
kleinem Kasten

semilinearia, linearia apice dilatata divisaque  
scyphos mentientia, saepissime vix percipienda,  
et tunc sporocarpia in thalli foliolis sessilia. Sporo-  
carpia primum diluto-fusca, tandem fusco-ni-  
gricantia, quandoque in acervulos, 2—3 lin. in  
diametro metientes, confluunt, hinc inde hiantes.

\*4. **CLADONIA decorticata**. podetiis gracilibus  
erectis sublignosis decorticatis, inferne nigris  
squamosis, superne niveis nudis l. squamis pul-  
vereque adspersis, sterilibus subramosis subu-  
latis, fertilibus apice fructiferis; sporocarpiis  
simplicibus subpeltatis l. aggregatis fuscis.

Cladonia decorticata. Linn. Syst. Vegetab.  
ed. Spreng. Vol. IV. P. I. p. 271.

Cenomyce decorticata. Flörk. Deut. Lich.  
IV. p. 11.

Cenomyce pityrea c. decorticata. Achar.  
Syn. lich. p. 254.

Icon. Dillen. Hist. musc. t. 15. f. 14. F.  
Exsicc. Flörk. Deut. Lich. no. 75.

Hab. ad terram sabulosam inter muscos et cla-  
donias in pinetis circa Berolinum et Rosto-  
chium. (In den Gehlsdorfer Fähr-Tannen  
1818.). Etiam in colle „Harkenberg“ juxta  
pagum Pohnsdorf prope oppidum Teterow  
eam inveni.

C. nelsonscarpia Fl. Herb.

**Descript.** Thallus, e squamis constans phylloideis lobato-crenatis pallide viridibus subtus albissimis, podetiis adultis saepe evanescit. Podetia uncialia a prima infantia decorticata et squamosa, inferne, usque ad medium, lignosa dura nigra sunt, cum exigua fistula centrali, hinc inde massa arachnoidea repleta. Superne attenuata plerumque nivea, squamulis thalloideis adspersa, fistulosa, ramis subulatis subfastigiatis. Sporocarpia mediocri magnitudine terminalia subpeltata s. plano-convexa subperforata, hinc aggregata confluentia, obscure fusca.

**Observatio 1.** Dillenii citata figura (tab. XV. f. 14. F.) habitum non male exprimit, quamquam olim (Cf. Web. et Mohr. Beytr. II. p. 295. obs. \*) cum Cladonia squamosa (Cenom. sparassa Achar.) coniunxi. Utrum sit, necne, judicent herbarii Dilleniani examinatores, cum e descriptione (p. 90. „fig. F. varietatem valde crispam exprimit“) nihil certi appareat.

**Obs. 2.** Affinitatem cum Cladonia pityrea detegere nequeo, contra Acharii opinionem, in Synopsi Lichenum p. 254. pronuntiatam.

**Obs. 3.** Locus natalis, in silvula *Fähr-Tannen* prope Rostochium, post indicatum annum penitus immutatus est. Exstirpatione arborum etiam cladoniae, laetissime olim ibi videntes, evanuerunt.

\*5. **CLADONIA cariosa:** thallo foliaceo lobato, lobis crenatis; podetiis subteretibus carioso-

cancellatis squamulosis granulato-verruculosis-  
que, apice digitato-subdivisis, ramis fastigiatis;  
sporocarpiis subpeltatis confertis et confluentibus  
fuscis.

*Cladon. cariosa.* Linn. Syst. Veget. ed.

Spreng. Vol. IV. P. I. p. 272.

*Cenomyce cariosa.* Sommerf. Suppl. Flor.

Lapon. p. 126.

*Cenom. cariosa.* Achar. Syn. lich. p. 273.

Ejd. Lichenogr. univ. p. 567.

*Baeomyces cariosus.* Achar. Meth. Lich.

p. 526. (secundum specimina, ab Achario ad Willdenovium missa).

*Icon.* Achar. in Nov. Act. Stockh. XXII. t. 4.

f. 4. *Lichen cariosus.* Dillen. Hist. musc.

t. XV. f. 15. B.

*Exsicc.* Schleich. Plant. crypt. Helvet. Cent.

IV. no. 56.

Hab. ad terram in pinetis campisque ericetosis  
sterilibus Germaniae, Helvetiae, Galliae,  
Sueciae, Norvegiae. (Ad vias lateraque fos-  
sarum aprica sabulosa in silvis *Kramonberg*  
et *Damerow* prope Rostochium alibi haud  
rara.

*Descript.* Thalli foliola 1—6 lin. longa, lobata  
1. laciniata pallide virescentia, demum et siccitate  
livido-cinerea, subtus albissima, lobis adscenden-

tibus rotundatis incisis et crenatis. Podetia semi-bipollicaria cylindracea, 1—4 lin. crassa, epidermide pallide virescente inaequabili mox rumpente, in granula, verruculas squamasque abeunte. Substantia subjacens alba tunc denudata costato-fibrosa adparet, in longitudinemque eroso-lacunosa seu cibrose cariosa. Apicem versus podetia dilatata sunt, parum l. profunde divisa et ramosa ibidemque subpervia l. hiantia, ramulis simplicibus fastigiatis, omnibus fructiferis. Sporocarpia in his terminalia, solitaria l. aggregata, saepe in capitulum, 2—6 lin. in diametro latum, coadunata, dilute; demum nigro-fusca.

**Obs. 1.** Figura, a Dillenio l. c. data, hujus speciei habitum optime repraesentat; at in descriptione p. 92. vox „pulverulenta“ minus congruit, nisi „granulato-pulverulenta“ intelligendum sit, quod ex epitheto „totum crustatum“ elucere videtur.

**Obs. 2.** Hoffmannium hanc speciem cum Cladonia tuberculosa sua (Cladoniae pyxidatae forma fructificante) junxisse, e speciminiibus, a Cel. Persoonio benevole mecum communicatis, mihi patuit.

**Obs. 3.** Podetia aetatis progressu squamoso-foliacea evadunt, at rarius.

**Obs. 4.** Huic speciei varietates sive formae Cladoniae pityreae accedunt nonnullae, de quibus infra dicta conferenda sunt.

\*b. *strepsilis*: „thallo foliaceo parvo, laciniis multifidis adscendentibus, lacinulis elongatis sublinearibus dentato-repandis apice incurvis; podetii brevissimis laevigatis terminalibus subaggregatis turbinato-scyphuliformibus regularibus; apotheciis marginalibus sessilibus subglobosis fusco-nigris.“ Achar. Synops. Lich. p. 250. Lichenogr. univ. p. 527. Cenomyce strepsilis.

Baeomyces strepsilis. Achar. Method. Lich. Suppl. p. 52.

*Icon.* Dillen. Histor. musc. t. 14. fig. 12. D.  
Hab. in Suecia et Germania ad terram sabulosam et muscosam, cum priore. (In pineto apud Oldendorf et alibi in tractu Rostochiensi).

*Observat.* Specimina Rostochiensia cum Acharianis, a me visis, exacte congruunt, et nisi thallum luxuriantem substerilem Cladoniae cariosae admodum variabilem exhibit. Scyphuli commemorati non ut genuini, membrana intergerina clausi, considerandi sunt, sed ut podetia minora, cum, Achario teste, demum „aperto-pervii“ evadant. Sporocarpia (apothecia Achar.) ab Achario marginalia et sessilia designata, non tantum in margine, sed undique in thalli laciniis proveniunt, et podetiorum incrementa sunt, ex epidermide prorumpentia, cephalodiis minutis fusco-nigris subsessilibus coronata. Nonnulla in podetia completa Cladoniae cariosae

progerminant. Facies inferior laciniarum sive foliorum thalli in speciminibus majoribus albissima est et arachnoideo-subpulverulenta.

c. *plumosa*: thalli foliolis brevibus confertissime imbricatis tenuissime lacinulatis, margine crenulato-granulatis albo-pallescentibus, subtus pulverulentis albissimis.

Cenomyce strepsilis b. *plumosa*. Achar.

Synops. Lich. p. 250.

Cenomyce strepsilis  $\beta$ . *plumosa*. Achar.

Lichenogr. univ. p. 528.

Hab. supra terram in montibus Sueciae.

*Descript.* „Laciniae supra albido-virescentes subtus albissimae pulverulentae, breviores quam in praecedente atque elegantissime ac tenuissime fimbriato-plumosae. Apothecia (sporocarpia) in hac non observata sunt.“ Achar., Lichenogr. univ. l. c.

*Obs.* Plantulam nondum vidi, et Acharii tantum auctoritate huc refero.

\* $\beta$ . *sympycarpia*: thalli foliolis sublobatis rotundatis crenulatis crassiusculis fusco-viridibus; podetiis plerumque brevibus, epidermide cohaerente laevi, demum subrumpente, apice subdivisis fructiferis; sporocarpiis aggregatis conglomeratisque fuscis.

*s.p. tabularia*

*Cenomyce symphycarpa.* Achar. Syn. p. 274.  
*Lichenogr. univ.* p. 568. (excluss. synonn.  
 omnibus).

*Capitularia symphycarpa.* Flörk. in Web.  
 et Mohr. Beytr. II. p. 281.

*Baeomyces symphycearpus.* Achar. Meth.  
 Lich. p. 326. (exclusis synonn.).

*Exsicc.* Flörk. Deut. Lichenen no. 95. (speci-  
 mina adulta, epidermide hinc inde rupta et  
 soluta.).

El. Fries. Lich. Snc. exsicc. no. 81.  
*Cenomyce decorticata.* (Specimina  
 grandaeva, epidermide soluta et in  
 squamas mutata).

Hab. ad terram in montosis et ericetis Germa-  
 niae, Sueciae, Norvegiae. Prope *Marggra-*  
*fenheide* in silva *Rostocker Heide*, prope  
Wieck inter oppida *Schwaan* et *Bützow*, et  
 alibi in Magno Ducatu Mecklenburgensi.

*Descript.* Thallo crassiusculo rigido, lobis ro-  
 tundatis et eoruni colore fusco-l. livido-viridi a  
 priore et *Cladonia caespiticia* distinguenda, qui-  
 buscum alias confundi posset. Podetia plerumque  
 breviora, quam in varietate  $\alpha$ , quandoque seyphu-  
 los mentientia, tamen, at rarius, subpollicaria,  
 2 — 3 lin. crassa. Epidermis eorum livido-virens  
 cohaerens laevisque est, et tantum grandaevitate

rumpitur. Sporocarpia habitu et colore modo de-  
scriptis varietatis & similia sunt.

**Obs. 1.** Huc etiam collocanda: Cenomyce  
pyxidata  $\beta$ , coralloidea: „thalli lobis cinereo-  
plumbeo-virescentibus; podetiis ramosis fle-  
xuosis glabris verrucosis thallo concoloribus  
ascyphis; apotheciis (sporocarpiis) terminali-  
bus confertis minutis subpodicillato-turbinatis  
impresso-perviis fuscis.“ Achar. Syn. Lich.  
p. 253. Ejd. Lichenograph. univ. p. 528.

**Obs. 2.** Specimina Cenomyc. cariosae, sub hoc  
nomine in collectione nostra: „Deutsche Li-  
chenen“ no. 95. a me exhibita, ad varietatem  
sympycarpiam ducenda esse, nunc persua-  
sum habeo, licet cum speciminibus nonnullis,  
ab Achario sub nomine Ceno. cariosae  
missis, exacte congruerunt.

**b. foliosa:** thallo folioso insigni, foliolis inciso-  
lobatis crenatis; podetiis cylindricis demum  
verrucoso-squamosis subfassis, apice divisis ra-  
mis attenuatis sterilibus, l. dilatatis fructiferis;  
sporocarpiis subpeltatis aggregatis fuscis.

Cenomyce foliosa. Sommerfelt. in litt.

Hab. ad terram prope Saltdalen Norlandiae  
Norvegiae. Sommerfelt, cui specimina  
debeo.

**Descript.** Thalli foliola 3—6 lin. lata, cras-  
siuscula pallide fusco-viridia subtus albissima sub-  
fuscescentia nuda. Podetia pollicaria 1—2 lin.  
crassa, tota verrucis squamaeformibus tecta, in

longitudinem hinc inde fissa. Ramuli subfastigiati abbreviati in cephalodium minutum atrum desinentes; fructiferi incrassati. Sporocarpia plano-convexa, 1 — 2 lin. in diametro metientia aggregata fusca, demum fusco-atra.

\*\**Sporocarpiis carneo-pallidis l. rufescensibus.*

\*6. CLADONIA botrytes: thalli foliolis minutis lobatis, lobis noduloso-crenatis viridi-pallescencibus; podetiis concoloribus rugoso-granulatis subfassis apice divisus, ramis fastigiatis; sporocarpiis submarginatis subpeltatis simplicibus 1. aggregatis carneo-pallidis.

Cladonia botrytes. Linn. Syst. Veget. ed.

Spreng. Vol. IV. P. I. p. 271.

Cenomyce botrytes. Achar. Synops. Lich. p. 274. Ejd. Lichenogr. univ. p. 569.

Baeomyces botrytes. Achar. Method. Lich. p. 327.

Baeomyces abietinus. Pers. ap. Uster. in Annal. d. Botan. St. VII. p. 19.

Icon. Hagen. Histor. Lichen. p. 121. (exclus. synon. Dillen.) t. 2. f. 9.

Wulfen. ap. Jacq. in Collect. IV. t. 4. f. 3.

Achar. Lichenogr. univ. t. II. f. 4. (quoad sporocarpium maxime auctum).

*Exsicc. Fries. Lichen; Suec. exsicc. no. 80.*

Hab. supra trunco<sup>s</sup> putridos quercinos, abietinos  
cet. Germaniae, Helvetiae, Borussiae, Sue-  
ciae. (In silva Rostocker Heide passum).

*Descript.* Thalli foliola subtus pallidiora nuda.  
Podetia semi-pollicaria quandoque subpollicaria  
gracilia subflexuosa. Sporocarpia marginata de-  
mum immarginata ambitu reflexa, carneo-l. dilute  
fusco-pallida.

7. *CLADONIA leptophylla*: thalli foliolis minutis  
subrotundis integerrimis crenatisque dispersis;  
podetiis subsimplicibus glabriusculis pallide  
virescentibus; sporocarpo terminali subsoli-  
tario rufescente.

Cenomyce leptophylla. Achar. Syn. Lich.  
p. 274. Ejd. Lichenogr. univ. p. 568.

Hab. ad terram in Anglia et Helvetia.

*Descript.* „Thallus e lobis minutulis dispersis  
raro approximatis et subimbricatis pallide viridibus  
subtus albis, margine integris (integerrimis) l. cre-  
nulatis componitur. Podetia rara gracilia nuda  
ut plurimum simplicia rarius bi-trifida. Apothecia  
(sporocarpia) terminalia hemisphaerica solitaria  
rufa, vel aetatis progressu magis fusca. Species  
minutula et, ut apparet, ab affinibus certo distincta.“

Achar. Lichenogr. univ. p. 569.

*Obs.* Fide Acharii hanc mihi ignotam adduxi speciem. Forsan praecedentis tantum varietas.

8. CLADONIA *capitata*: thalli foliolis imbricatis subolivaceis; podetiis subsimplicibus substramineis; sporocarpiis subgloboso-conglomeratis rubiginoso-rufis.

*Cladonia capitata.* Linn. Syst. Vegetab. ed. Spreng. Vol. IV. P. I. p. 271.

*Cenomyce capitata.* Achar. Synops. Lich. p. 275. Ejd. Lichenogr. univ. p. 570.

*Helopodium capitatum.* Michaux Flor. Amer. Bor. II. p. 529.

Hab. ad terram in Carolina Americae.

*Descript.* „Thallus supra sordide olivaceus subtus albo-incanus. Podetiorum apices raro breviter divisi, ramulis etiam apothecia conglomerata gerentibus. Apothecia solitaria discreta haud yisa.“ Michaux l. c.

*Obs. 1.* Species dubia! De magnitudine podetiorum eorumque superficie glabra aut pulvрulenta nullam detector mentionem fecit.

*Obs. 2.* Sporocarpiorum color in hac et praecedente incertus videtur; ab initio re vera coccineum esse suspicor.

9. CLADONIA *peltasta*: thallo fere nullo; podetiis elongatis subfiliformibus glabris verruculosis albo-pallescentibus ramosis, fertilium apicibus

incrassatis subdivisis; sporocarpiis terminalibus magnis planiusculis submarginatis carneo-pallidis.

*Cladonia peltasta.* Linn. Syst. Veget. ed.

Spreng. Vol. IV. P. I. p. 271.

*Cenomyce peltasta.* Achar. Syn. Lich.

p. 261. Ejd. Lichenogr. univ. p. 563.

*Lichen hybridus.* Bory de St. Vincent

Voy. III. p. 105.

Hab. in Ins. Borbonia. (v. sicc.)

*Descript.* Podetia 2—5 pollicaria parum ramosa verrucis minutis adspersis subscabrida. Ad basin et aetatis progressu podetia nigricant, punctis verruculosis albis. Rami laterales breves patuli rarius fertiles. Terminales incrassato-dilatati fructiferi. Sporocarpia majora planiuscula flexuosa submarginata pallescentia.

*Obs.* „Scyphi quidem nulli in speciminiibus meis adsunt; sed ex habitu speciem scyphiferam esse concludimus.“ Achar. Syn. l. c. Specimina verum, sub nomine Lichenis hybridi a Cel. Boryo accepta, cladoniis clavatis potius quam scyphiferis cognata videbantur.

### \*\*\**Sporocarpia coccineis.*

\*10. *CLADONIA incrassata:* thalli foliolis minutis pallidis eroso-lobatis, subtus pulverulentis; podetiis brevibus glabris mox verrucoso-granulatis

pallidis subvirescentibus, hinc et inde albido-pulverulentis, simplicibus ramosisque, apice incrassatis; sporocarpiis confertis saepe confluentibus coccineis.

Hab. ad terram turfosam muscosque de-  
structos in paludibus et ad fossarum latera.

(In silva *Rostocker Heide* passim. Prope  
Gryphiswaldam legit am. Laurer.)

*Descript.* Thallus granulatus l. foliosus pallidus l. viridi-fuscescens; foliolis ab initio supra subtusque glabris, demum pulvere albidiore praesertim pagina inferiore margineque obrutis. Podetia 1 — 2 linearia rarius semuncialia, quandoque simplicia subturbanata, saepe ramosa apicibus incrassatis dilatatisque, omnibus fructiferis. Superficies eorum pallida subvirescens glabra, subinde verrucoso-nodulosa l. granulata est, sorediis pulverulentis albidis in primis apice interspersis. Sporocarpia simplicia l. aggregata subconfluentia, pro ratione speciei spectabilia, laete coccinea.

11. *CLADONIA sanguinea*: thalli foliolis magnis lobatis olivaceis, lobis subconvolutis, crassiusculis, intus coccineis, subtus albido-pruinosis, rubedine translucente; podetiis colore et natura thalli, glabris validis simplicibus apice subdivisis; sporocarpiis maximis conglomeratis coccineis.

Habitat in Brasilia. Commun. am. Hornschuch.

**Descript.** Foliola thalli 4—6 lin. lata inciso-lobata, lobis rotundatis inflexo-subconvolutis. Podetia subpollicaria aggregata subconfluentia irregularia 3—4 lin. in diametro metentia apice subdivisa passim fissa, sporocarpiis numerosis subconfluentibus tecta. Color sporocarpiorum in visis speciminibus, itinere parum corruptis, more specierum cocciferarum, per plures annos in museo adservatarum, sanguinolentus, initio coccineum fuisse, facile mihi persuadeo. Stratum eorum internum, uti podetiorum et thalli, coccineum, huic speciei peculiare, perquam eximum dicendum. Fistula interna centralis pro ratione roboris podetiorum angusta.

---

## SECTIO SECUNDA.

### *Cladoniae scyphiferae.*

(*Scyphophora. Achar. Clad. scyphiferae. Hoffm.*)

Thallo foliaceo, podetiis sursum dilatatis scyphiferas vel attenuatis subulatis; scyphis dia phragmate imperforato clausis.

### *\*Sporocarpiis fuscis.*

A. *Podetiis laevibus, demum subverrucosis.*

\*12. **CLADONIA alcicornis:** foliolis thalli insignibus pallide virescentibus subpalmatis repando-

dentatis, margine saepe fasciculis pilorum instructis; podetiis elongato-turbanatis laevibus omnibus scyphiferis; scyphis regularibus crenatis, margine demum foliosis proliferisque, sporocarpiis fuscis.

*Cladonia foliacea.* Linn. Syst. Veget. ed.

Spreng. Vol. IV. P. I. p. 272.

*Cenomyce alcicornis.* Flörk. Deut. Lich.

III. p. 15.

*Capitularia alcicornis.* Flörk. in Web. et

Mohr. Beiträg. II. p. 336.

*Cenomyce alcicornis.* Achar. Syn. Lich.

p. 250. Lichenogr. univ. p. 529. (partim).

*Cenomyce damaecornis*  $\alpha.$  et  $\gamma.$  phyllophora.

Ibid. p. 530. 531. (excl. synon. Ehrh.)

*Cladonia foliacea.* Hoffm. Fl. Germ. 1795.

p. 123.

*Lichen. foliaceus.* Schreb. Spicil. p. 122.

no. 1115.

*Icon.* Dillen. Histor. Musc. t. XIV. f. 12. A.

(specimen juvenile, scyphis adhuc minutis.).

VaiII. Paris. t. 21. f. 3. (specimen adultum prolificans, at sterile.).

Habitat ad terram in ericetis et pinetis Germaniae, Helvetiae, Galliae, Sueciae etc. Circa

Rostochium et Berolinum frequentissime.

Etiam ex America bor. accepi.

*Descript.* Thallus caespitosus e lobis constans  $\frac{1}{2}$  — uncialibus palmatis l. laciniatis, laciniis iterum crenatis l. dentatis. Fasculi pilorum marginales, primum albi demum nigricantes, in speciminibus aprico et arido loco crescentibus desiderantur. Podetia elongato-turbanata  $\frac{1}{2}$  —  $\frac{3}{4}$  uncialia laevia demum subverruculosa albo-l. flavo-viridia, in scyphos regulares abeuntia. Margo eorum crenulatus raro fructificans, saepissime perquam foliosus et scyphos novos proferens, itidem phyllophoros. Sporocarpia submarginata carneo-fusca, tandem obscuriora.

*Obs. 1.* Cenomyc. damaecornis  $\alpha$ . Achar. Lichenogr. univers. tantum praesentia fasciculorum pilorum ad oras laciniarum thalli differt, ideoque cum Clad. alcicorni jungenda.

*Obs. 2.* Cenom. damaecornis var.  $\gamma$ . gentilis. Achar. l. c. a Cladoniarum familia recedit et ulteriorem adhuc expectat indagationem. Cf. Web. et Mohr. Beitr. II. p. 338. observat. \*\*.

*Obs. 3.* Cladonia phyllophora Hoffm. l. c. p. 125, ex parte tantum ad hanc speciem referenda est, scilicet quoad synonymum Vailantii (Paris. t. 21. f. 3.); Lichen phyllophorus Ehrh. Crypt. exsicc. no. 287, ab Hoffmannio citatus, ad Cladoniam degenerantem pertinet.

$\beta$ . *endiviaefolia*: foliolis thalli maximis palmatis l. laciniatis, laciniis rotundato-inciso-crenatis,

crassiusculis, fasciculis pilorum destitutis; reliqua speciei.

*Cladonia Cornucopiae.* Linn. Syst. Veget. ed. Spreng. I. c. p. 272.

*Cenomyce endiviaefolia.* Achar. Syn. Lich. p. 250.

*Icon.* Michel. Nov. plantar. gen. t. 42. ord. IX. f. 5.

Habitat ad terram in ericetis Europae australioris. (v. sicc.)

*Descript.* Foliola thalli, 2 — 5 pollices in diametro metientia, habitu et colore praecedentis sunt, at crassiora et margine nuda.

*Obs.* Cladoniam cornucopoidem Hoffm. Flor. Germ. p. 128. et Lichenem endivifolium Dicks. Plant. crypt. Brit. fasc. III. p. 17. potius ad Cladoniam alcicornem ipsam, quam ad hanc varietatem β. trahendos esse putavi, cum magnitudine varietatem endiviaefoliam minime aequent.

\*13. *CLADONIA verticillata:* thalli foliolis crenato-incisis; pedetiis cylindricis glabriusculis albido-l. cinereo-virescentibus omnibus scyphiferis; scyphis regularibus planiusculis, e centro demum elevato repetito-aggregatoque prolificantibus; sporocarpiis marginalibus fuscis.

*Cenomyce verticillata.* Achar. Syn. Lich.

p. 251.

- Cenom. allotropae var.  $\delta$ . verticillata. Achar.  
Lichenogr. univ. p. 555. (excl. fig. citata  
Vaillantii).
- Capitularia verticillata. Flörk. in Web.  
et Mohr. Beitr. II. p. 283.
- Baeomyc. turbinati var.  $\gamma$ . verticillata. Achar.  
Method. Lich. p. 540.
- Scyphophorus verticularis. Michaux Flor.  
Boreal. Amer. Suppl. (sive Acharii).
- Pyxidaria nigrescens et Pyxid. diplocea.  
Bory de St. Vine. Voy. III.
- Cladonia dilatata. Hoffm. Flor. Germ.  
p. 126. (specimina fructificantia absque  
prolificationibus.).
- Cladoniae pyxidatae var. verticillata. Hoffm.  
l. c.
- Cladoniae pyxidatae var. prolifera. Hoffm.  
l. c. (excl. Vaill. Par. t. 21. f. 9.).
- Icon. Dillen. Histor. musc. t. 14. f. 6. D-H.  
Michel. Nov. plant. genera. t. 42. f. P.  
dextera.
- Exsicc. Ehrh. Crypt. exsice. Lichen pyxidatus.  
Habitat ad terram in pinetis per omnem Euro-  
pam. Ex America boreali et Insula Borbonia  
etiam specimina, Europaeis conformia, ad-  
lata sunt.
- Descript. Thalli foliola crenato-inceisa rigi-

diuscula, supra fusco-viridia. Podetia cylindrica superne in scyphum subangustum regularem absunt, margine parum crenulatum. Sporocarpia subsessilia marginalia saepe confluunt in annulum crenulatum. Prolificationes assurgunt e centro diaphragmatis scyphorum elevato aggregatae l. multoties repetitae, crassiores l. tenuiores. Podetia sexies — decies prolificata trium unciarum altitudinem attingere solent.

\*b. *phyllophora*: scyphorum margine folioso.

Cladonia cristata. Hoffm. Fl. Germ. p. 124.  
(partim).

*Icon.* Dillen. Histor. muscor. t. 14. f. 9. B.

Hab. in pinetis cum priore.

*Descript.* Podetia simplicia l. prolificata margine scyphorum foliolis squamisque adsperso.

*Obs. 1.* Figura 9. A. tabulae XIV. Dillenii Hist. muscor. ad Cladoniam neglectam pertinet, ideoque a fig. B. specifice disjungenda.

*Obs. 2.* Dillenii tab. XVI. f. 23. hanc varietatem non male repraesentaret, nisi axillae hiantes essent. Cf. Cladoniam Dillenianam.

*Obs. 3.* Ad Cladoniam verticillatam quoque referri debet: Cenomyce *cervicornis*, thallo foliaceo caesio-virescente, laciinis erectis multifidis angustis subdentato-repandis; podetis cylindricis brevibus glabris lividis demum nigris, omnibus scyphiferis; scyphis parvis regularibus dilatatis integerrimis planiusculis, e centro prolificantibus; apotheciis

marginalibus sessilibus fusco-nigris. Achar.  
Syn. Lich. p. 251. Cenom. cervicornis  $\alpha$ . et  
var.  $\beta$ . prodiga. Ejd. Lichenogr. univers.  
551. 552. Lichen cervicornis. Achar. in  
Nov. Act. Acad. Scient. Stockh. Vol. XXII.  
p. 342. tab. 4. f. 5.

Species haecce spuria a detectore in Lichenographia univ. l. c. ita describitur: „Thallus caespitem latum pulvinatum plerumque efformat e laciniis dense congestis compositum. Lacinia minores et angustiores quam in praecedentibus hujus sectionis speciebus (Cenom. alcicorn. et endiviaefol. Achar.), supra e cinereo vel caesio virescentes subtus albae, ad basin nigrae. Podetia supra foliacea lineam unam alteramve longa erecta nuda glabra filiformia superne in scyphum expansum colorem demum cinereo-fuscum dilatata, diaphragmate planiusculo margine patentissimo, apotheciis sessilibus minutis simplicibus raro conglomeratis fusco-nigricantibus coronato. — Minutie, colore, forma podetiorum et scyphorum a reliquis affinibus mox dignoscitur.“

Ad varietatem prodigam porro adnotavit **Acharius** l. c. „Scyphi integri persistunt uti thallus, singulis innovationibus podetiorum scyphiferis. In hoc statu podetia magis elongantur et squamis sparsis foliaceis interdum condecorantur.“

Omnibus perpensis nullum remanet dubium, quin Cenomyce cervicornis Achar. tantum ut varietas Cladoniae verticillatae manca, loco exarido nata, considerari debeat. Specimina, ab Achario ad Willdenovium missa, vidi, at nihil certi me edocue-

runt, cum sole torridata inexplicataque vide-  
rentur. Gallica specimina, quae videre licuit,  
a Cladoniae degenerantis varietate g. dichotoma non recedebant, multo solummodo mi-  
nora et obscurius colorata erant.

14. **CLADONIA perfoliata:** podetiis cylindricis  
glabris fusco-cinereis omnibus scyphiferis, scy-  
phis regularibus semper concavis omnibus mar-  
gine aequaliter fimbriato-radialis, e centro repe-  
tito- at simpliciter proliferis; sporocarpiis —.

Habitat in Brasilia, unde peregrinatores incliti  
Martius et Spixius eam retulerunt. Com-  
municavit Cl. Hornschuch.

**Descript.** De thallo et sporocarpiis in specimi-  
nibus visis nil adfuit. Podetia sescuncialia — triun-  
cialia. Prolificationes (4 — 6) altitudine et dimen-  
sione superne decrescentes, nunquam adgregatae.  
Marginis radii 16 — 20 tenues attenuati fistulosi  
aequales 3 — 4 lin. longi, apice cephalodio atro-  
fusco terminati.

**Obs.** Species singularis et cum nulla alia, huc-  
usque cognita, confundenda, etsi Cladoniae  
verticillatae, ob proliferationes constanter  
centrales, proxima.

\*15. **CLADONIA gracilis:** foliolis thalli crenatis;  
podetiis elongatis filiformibus subulatis sterilibus  
1. scyphiferis, laevibus livido-fuscescentibus;  
scyphis cyathiformibus margine denticulatis  
subinde proliferis; sporocarpiis fuscis.

*Cladonia gracilis.* Linn. Syst. Vegetab. ed. Spreng. Vol. IV. P. I. p. 273. (excl. *Cen. crispata.* Achar.).

*Cenomyce gracilis.* Flörk. Deut. Lich. VI. p. 11.

*Cenomyee ecmocyna* a. *gracilis.* Achar.  
Syn. Lich. p. 261. Ejd. Lichenogr. univ.  
p. 550.

*Capitularia gracilis.* Flörk. in Web. et  
Mohr. Beitr. II. p. 322.

*Baeomyces gracilis*  $\alpha$ . Achar. Meth. Lich.  
p. 344.

*Lichen gracilis.* Linn. Flor. Suec. no. 1115.  
(Fide Acharii).

*Icon.* Dillen. Hist. musc. t. 14. f. 15. C. D.  
(*Podetia sterilia subulata.*)

*Exsicc.* Deut. Lichenen no. 113.

Funck. Krypt. Gewaechse etc. no. 478.

Habitat ad terram in sylvis praecipue acerosis,  
et supra truncos arborum putridos saxaque  
muscosa, per omnem fortasse Europam.

*Descript.* Thallus in speciminibus adultis evanescit. *Podetia graciliora,* quam in alia scyphiferarum specie, 1—2 uncias alta, laevia, hinc inde squamis phylloideis adspersa, thalli foliolis quoad colorem habitumque correspondentibus. *Podetiorum* apices attenuato-subulati vel scyphiferi;

*scyphi angusti*, margine plerumque denticulati  
l. fructiferi, subinde proliferi. Sporocarpia sessilia  
l. podicillata fusca. Prolificationes marginales,  
rarissime centrales, bis, ter repetitae.

*Obs. 1.* Cenomyce gracilis El. Fries. Lichen.  
Suec. exsicc. Lund. 1818. 4to. no. 53. hujus  
varietatis  $\alpha$ . exhibet statum fertilem adpro-  
pinquationesque ad varietates chordalem et  
validam.

*Obs. 2.* Cladoniae gracilis cum Cl. verticillata  
affinitatem, a nonnullis (Clarr. Schaefero,  
Friesio, in literis) affirmatam, adhuc fru-  
stra quaesivi. Cladonia gracilis podetiorum  
subulatorum copia praecipue differt a Clad.  
*verticillata*, cuius podetia omnia scyphifera  
sunt; totus praeterea podetiorum, aetate  
progressorum, habitus in utraque specie per-  
quam dissimilis adparet propter diversam pro-  
lificationum indolem.

\*b. *amaura*: podetiis elongatis cylindricis subdi-  
chotomo-ramosis, laevibus fusco-nigricantibus;  
scyphis minutis denticulatis margine proliferis;  
sporocarpiis podicillatis sessilibusve.

Capitularia gracilis c. *amaura*. Flörk. in

Web. et Mohr. Beitr. II. p. 525.

Cenomyce ecmocyna b. *amaura*. Achar.

Syn. Lich. p. 262.

Habitat ad terram locis apricis et aridis praeser-  
tim in montibus saxosis Hercyniae, Thurin-  
giae, etiam prope Berolinum et Rostochium,

*Obs.* Habitus prioris, at podetia tenuiora et  
fere nigra.

\*c. *hybrida*: podetiis elongatis cylindricis laevibus  
pallide fuscoque virescentibus subuliformibus l.  
scyphiferis; scyphis subdilatatis margine den-  
tatis radiatis proliferis; sporocarpiis sessilibus  
podicillatisve fuscis.

Cenomyce ecmocyna  $\beta.$  *hybrida*. Achar.

Synops. Lich. p. 262.

Cenom. allotropae var.  $\alpha.$  *turbanata* (excl.  
synon. Hoffm.) et  $\beta.$  *hybrida*. Ejd. Li-  
chenogr. univ. p. 554.

Capitulariae *gracilis* var.  $\beta.$  *hybrida* Flörk.  
in Web. et Mohr. Beitr. II. p. 325.

Baeomyc. *gracilis* var.  $\beta.$  *hybrida*. Achar.  
Method. Lich. p. 344.

Baeomyc. *turbanati* var.  $\alpha.$  Achar. l.c.p. 339.

Lichen *turbanatus*. Achar. Prodr. p. 192.

Lichen *pyxidatus*. Timm. Florae Megapol.  
Prodr. p. 250. no. 1026. (secundum  
specim.).

*Icon.* Dillen. Histor. muscor. t. 14. f. 13. A. B.  
Achar. Method. Lich. t. VII. f. 6. D. E.

*Exsicc.* Sommerf. Plant. crypt. Norvegicarum  
Cent. I. no. 75.

Funck. krypt. Gewaechse etc. XXIII.  
no. 478. Cenomyce *allotropa*  $\gamma.$  *hybrida*.

Habitat ad terram in pinetis Germaniae, Galliae,  
Helvetiae cet. circa Berolinum et Rostochium  
vulgatissima.

**Descript.** Podetia  $1\frac{1}{2}$  — 2 uncialia 1 lin. crassa  
abeunt plerumque in scyphos 2 — 3 lin. in diametro  
metientes. Margines eorum, saepe dentati, pro-  
tenduntur in radios diversae magnitudinis subin-  
crassatos, sporocarpia simplicia l. conglomerata  
sustinentes, dilute l. obscure fusca.

**Obs.** Nomen varietatis „*hybrida*“, primo ab  
Hoffmannio, ut videtur, podetiis subuli-  
formibus, a Dillenio in Historia muscorum  
t. 14. f. 15. C. D. delineatis, impositum, postea  
vero ab Achario nunc descriptae varietati  
datum, fortasse rejiciendum esset, cum  
haecce forma nihil hybridii et spurii prae se  
ferat; nomina tamen, per annos usitata, valent  
uti nummi, eorumque mutatio turbat bota-  
nophilos.

\*d. *chordalis*: podetiis longis cylindricis laevibus  
albo-virescentibus subulatis l. scyphiferis; scy-  
phis incompletis sinuato-denticulatis substerilibus  
proliferis, radiis paucis irregularibus.

Cenomyce ecmocyna  $\beta$ . *hybrida* c. leucohloraa.

Achar. Syn. Lich. p. 262.

Capitularia gracilis B. *chordalis*. Flörk. in  
Web. et Mohr. Beitr. II. p. 324.

Capitularia gracilis  $\beta$ . *hybrida* D. leucohloraa.

Flörk. ibid. p. 328.

Hab. ad terram in silvis muscosis umbrosis Germaniae, Helvetiae etc. Prope Berolinum, Rostoch. et alibi.

**Descript.** Podetia 3—5 uncialia,  $\frac{1}{2}$ —1 lin. crassa, simplicia l. parum ramosa, attenuata l. scyphifera saepissime sterilia, scyphis crenulatis, dentatis proliferisque saepe incompletis. Color pallidus a loco natali umbroso muscoso derivandus. Sporocarpia, si adsunt, pallide — vel dilute — fusca.

**Obs. 1.** Formae hujus varietatis innumerabiles partim ad Cladoniae gracilis var.  $\alpha$ , partim ad varietatem hybridam vergunt, plurimae tamen ad ultimam.

**Obs. 2.** Cenom. cornutae varietas  $\delta.$  merista Lichenogr. univ. p. 546. ab Achario in Synopsi Lichenum p. 262. cum hac varietate chordali pro parte conjuncta, e podetiis pulverulentis et glabris constituta est, ideoque ut varietas mixta oblivioni tradenda videtur.

\*e. valida: podetiis elongatis validis superne in crassatis laevibus, e pallido viridi-fuscescentibus scyphiferis; scyphis dilatatis irregularibus margine, interdum e diaphragmatis centro proliferis; sporocarpiis solitariis l. conglomeratis saepe maximis.

Cenomyce ecmocyna  $\beta.$  hybrida d. valida.

Achar. Syn. Lich. p. 262.

*Capitularia gracilis*  $\beta.$  *hybrida* B. *valida*.

Flörk. in Web. et Mohr. Beitr. II.  
p. 327.

*Baeomyces turbinatus*  $\delta.$  *euphoreus* et  $\epsilon.$  *ge-*  
*rontius*. Achar. Meth. Lich. p. 540. 541.

Habitat ad terram in sylvis acerosis cum  
prioribus.

*Descript.* Podetia 3—4 uncialia, 2—3 lin.  
crassa, superne in scyphos 3—6 lin. extensos, bis  
terque proliferos, dilatata. Scyphorum margo  
dentatus lobatus hinc inde dilaceratus. Sporocar-  
pia sessilia l. podicillata.

\*f. *floripara*: podetiis elongatis superne incras-  
satis laevibus scyphiferis; scyphis magnis regu-  
laribus, margine stipatissime cephalodiis minutis  
fusco-nigricantibus ornatis; proliferationibus  
saepe e diaphragmatis scyphorum centro con-  
cavo oriundis solitariis l. aggregatis.

*Cenomyce ecmocyna*  $\beta.$  *hybrida* b. *floripara*.

Achar. Syn. Lich. p. 262.

*Capitularia gracilis*  $\beta.$  *hybrida* C. *floripara*.

Flörk. in Web. et Mohr. Beitr. II.  
p. 328.

Hab. ad terram in pinetis cum antecedentibus.

*Obs.* Statura et partium magnitudo ut in varie-  
tate d. *valida*, omnia tamen perquam varia-  
bilia. Sporocarpia pauca maxima.

\*g. *dilacerata*: podetiis elongatis superne incrassatis laevibus repetito irregulariter scyphiferis; scyphis margine varie extensis dentatis nodulosis eroso-dilaceratis perquam multiformibus, cephalodiis numerosis hinc inde et squamis, raro sporocarpiis adultis instructis.

Hab. ad terram in pinetis cum prioribus.

**Obs. 1.** Varietas perquam multiformis, et non-nullis formis Cladoniae degenerantis accedens; tamen illico defectu macularum albarum in superficie podetiorum mortificatorum nigra et partium omnium validitate distinguenda.

**Obs. 2.** Specimina Groenlandica, quae Comitis Raben liberalitati debo, albissima sunt, hinc inde virescente-fuscella, ceterum cum Germanicis optime congruunt.

\*h. *anthocephala*: podetiis elongatis superne in crassatis laevibus scyphiferis; scyphis magnis irregularibus cephalodiis squamis foliolisque stipatissime obtectis, hinc inde proliferis.

Hab. cum prioribus.

**Obs. 1.** Varietati *floriparae* proxima, at difformior et foliorum, inter cephalodia locatorum copia eminens.

**Obs. 2.** Cephalodia, quorum in hac et praecedentibus mentionem feci, sunt sporocarpia minuta inexplicata, stipatissime plerumque congesta, in aliis quoque speciebus, e. c. in *Cladonia bellidiflora*, ubi coccinea, obvia.

*Obs. 3.* Varietates e—h, etsi minime graciles attamen subvarietates *Cladoniae gracilis*  $\alpha$ . solummodo judicarem, cum characteres dati fortuiti et perquam variabiles sint.

*β. macroceras:* podetiis longis crassiusculis cylindricis subventricosis laevibus pallide virescentibus apice fuscis, plurimis subulatis, aliis scyphiferis; scyphis regularibus angustis tenuissime denticulatis substerilibus rarius proliferis; sporocarpiis magnis fuscis.

Cenomyce ecmocyna  $\gamma$ . *macroceras.* Achar.

Syn. Lich. p. 263.

Cenomyce ecmocyna  $\beta$ . *rostrata.* Achar.

Lichenogr. univ. p. 550.

*Capitularia gracilis*  $\gamma$ . *macroceras.* Flörk.  
in Web. et Mohr. Beitr. II. p. 550.

Hab. ad terram muscosam in Alpibus Salisbb.,  
Tyroll., Helvetiae, etiam in Montibus Norlandiae Norvegiae (Sommerfelt).

*Obs.* Varietas perquam simplex et regularis, ut var.  $\alpha$ , at multo major et crassior. Podetia trium unciarum attingunt altitudinem 2—3 lin. crassa, rarissime squamis adspersa.

*b. elongata:* podetiis longissimis subteretibus subsimplicibus albo-pallidis cinerascentibus l. cинеreo-fuscis subuliformibus l. scyphiferis; scyphis obsoletis denticulatis subproliferis; sporocarpiis plerumque solitariis demum maximis fuscis.

*Cenomyce ecmocyna*  $\gamma$ . *macroceras* b. *elongata*. Achar. Syn. Lich. p. 263.

*Cenomyce ecmocyna*  $\alpha$ . *elongata*. Achar. Lichenogr. univ. p. 549.

*Cenom. cornuta*  $\varphi$ . *cercophora*. Achar. ib. p. 546.

*Capitularia gracilis*  $\gamma$ . *macroceras* B. *elongata*. Flörk. apud Web. et Mohr. I. c. p. 331.

*Baeomyces elongatus*. Achar. Meth. Lich. p. 345.

*Cladonia elongata*. Hoffm. Flor. Germ. p. 119.

*Icon.* Wulf. apud Jacq. in Miscell. II. t. XI. f. 1. *Lichen elongatus*.

Hab. cum priore in Alpp. Salisbb. ceterisque Alpibus Europaeis, etiam ad Fretum Magellanicum Americae australis.

*Obs. 1.* Reliquis varietatibus omnibus longe procerior, ad 5—6 uncias protensa, a praecedente  $\beta$ . originem dicit. Podetia plerumque procumbentia subventricosa laevia, subsimplicia l. ramo uno alterove donata obscure scyphifera aetate progressa raro squamulis adspersa. Scyphi plerumque steriles interdum margine fructificantes; sporocarpia subsolitaria maxima.

*Obs. 2.* Specimen in Jacq. Miscell. I. c. depictum, ex America australi (Fret. Magell.)

adlatum; cum speciminibus Salisburgensibus  
exakte convenit, ideoque ab iis haud sepa-  
randum.

**Obs. 3.** *Synonyma, e quibus Cenom. ecmo-  
cynae γ. macrocer. subvarietas C. exoncera.  
Achar.* Syn. Lich. p. 263. constituta est, ad  
varias Cladoniae furcatae et stellatae (uncialis)  
formas spectant. Cen. == exoncera Acharii  
silentio inde praetermittenda videtur. —  
*Idem valet de Cenom. ecmocynae varietate δ.  
corymbosa.* Achar. Syn. Lich. p. 263,  
cum synonymum primum (Cenom. allotropae  
var. η. corymbosa). Achar. Lichenogr. univ.  
p. 556.) ad Cladoniam degenerantem, reliqua  
(Cenom. furcatae var. β. stricta. ibid. p. 561.  
et Lichen furcatus Schreb.) ad Cladoniam  
furcatam releganda sint.

\*γ. *aspera*: podetiis squamoso-foliolosis.

Cenom. ecmocynae var. ε. *aspera*. Achar.  
Syn. Lich. p. 264.

*Capitulariae gracilis* var. δ. *aspera*. Flörk.  
apud Web. et Mohr. l. c. p. 333.

Habitat ad terram in pinetis Germaniae, Hel-  
vetiae cet.

**Obs. 1.** De podetiorum statura formaque nil  
dixi, cum omnes Cladoniae gracilis varietates  
loci natalis beneficio, squamis foliolisve  
quandoque adspergantur.

**Obs. 2.** Cenom. ecmocynae varietatem δ. subu-  
latam (Achar. Lichenogr. univ. p. 550.) ab  
Achario in Syn. Lich. p. 264. ut synonymum  
allegatam, huc referri posse, inconsulta sen-

tentia videtur. Auctor etiam ipse hoc synonymum sub Cenom. furcata (Synops. Lich. p. 276.) iterum locavit, ibique jure manebit.

16. **CLADONIA degenerans:** thalli foliolis crenulato - incisis; podetiis longiusculis laevibus glauco - l. albido - virescentibus, mortificatis nigrescentibus albido - punctatis, omnibus scyphiferis; scyphis irregularibus sublacero - radiatis margine proliferis, proliferationibus foliolosis; sporocarpiis fuscis.

*Cladonia degenerans.* Linn. Syst. Veget. ed. Spreng. l. c. p. 273.

*Cenomyce degenerans.* Flörk. Deut. Lichenen. X. p. 11.

*Cenomyce gonorega.* Achar. Syn. Lich. p. 258.

*Capitularia degenerans.* Flörk. in Web. et Mohr. Beitr. II. p. 308. Lit. A — O.

*Exsicc.* Flörk. Deut. Lich. no. 194. (plurimum varietatum formarumque specimina).

Fries. Lich. Suec. exsicc. no. 54. (specimina juniora et grandaeva).

Hab. ad terram in campis sterilibus, pinetis et montibus Germaniae totiusque forsitan Europeae. Circa Berolinum et Rostochium frequentissima.

**Descript.** Thalli foliola ab initio, Cladoniarum more, subtus alba nuda, aetate cinereo-fuscescentia. Scyphi rarius regulares, semper fere fissi et margine subcristati sunt, proliferationibus ter quaterve innovatis, plus minus squamosis et foliolosis. Foliolorum, in podetiis vetustis proliferationibusque laceris obviorum copia, defectus podetiorum sub

- latorum

, nec non praesentia macularum albarum in superficie podetiorum mortificatorum nigricante, formas hujus speciei perquam variables a Cladoniae gracilis varietatibus nonnullis, simili modo aberrantibus, distinguunt. — Variationum modi vix nominibus singularibus denotari merentur, omnibus in charactere speciei dato comprehensis; tamen, ad Acharii exemplum et propter synonymiam digerendam, sequentes formas enumerare juvabit.

**Obs.** Nomen specificum „*degenerans*“, pri-  
mum a me adhibitum, retinendum mihi vide-  
tur, cum nomen „*gonorega*“, ab Achario  
electum, proprius ad Cladonias cenoteam et  
squamosam (Cen. sparassam Ach.), in Li-  
chenogr. univ. p. 551. cum Cladonia degene-  
rante commixtas (!!), respicere pateat.

\*a. *haplotea*: podetiis elongatis cylindricis laevi-  
bus omnibus scyphiferis, scyphis margine cre-  
natis radiatis l. palmato-dilatatis; sporocarpiis  
sessilibus podicillatisque fuscis.

Cenomyce gonorega a. aplotea. Achar. Syn.

Lich. p. 258.

Capitularia degenerans litt. A. B. C. Flörk.

in Web. et Mohr. Beitr. II. p. 312. 313.

**Obs.** Specimina juniora simplicia adhucdum nuda, quandoque podetiis nonnullis Cladoniae gracilis et verticillatae subsimilia, at albidiora et scyphorum margines irregulariter protensi. Sporocarpia minuta plerumque rufo-fusca, nunquam tamen coccinea.

\*b. *euphorea*: podetiis elongatis pallide virescentibus nudis, scyphis radiato-proliferis, sporocarpiis podicillatis majoribus fuscis.

Cenomyce gonorega b. euphorea. Achar.

Syn. Lich. p. 259.

Capitularia degenerans litt. E. Flörk. in

Web. et Mohr. Beitr. I. c. p. 314.

(exclus. synon. Achar.)

**Obs.** Specimina adultiora simpliciuscula nuda parum prolificata frugifera; apothecia conferta majora podicillata et conglomerata.

\*c. *anomoea*: podetiis cylindricis nudis (pulvere destitutis) scabridis foliolosisque obscure scyphiferis, scyphis inaequaliter dilatato-radiatis, radiis brevibus fertilibus; sporocarpiis majusculis sessilibus terminalibusque aggregato-conglomeratis.

Cenomyce gonorega c. anomoea. Achar.

Synops. Lich. p. 259. Lichenogr. univ.  
p. 552. (excl. synon. Hoffm.).

Capitularia degenerans litt. G. Flörk. in  
Web. et Mohr. Beitr. l. c. p. 315.

*Obs. 1.* Figura a Dillenio in Histor. muscor. t. 15. f. 20. data, faciem hujus variationis non male exprimeret, nisi scyphis, margine integrimis, ad aliam speciem, nempe ad Cladoniae pyxidatae varietatem chlorophaeam, relegandis, mixta esset. E descriptione, a Dillenio p. 97. sub juncta, nihil certi patet, quare f. 20. ad varias Cladoniarum species ducta est, scilicet ad Cladoniam squamosam, delicatam, degenerantem et pityream.

*Obs. 2.* Podetia squamis foliolisque aspera, superne in scyphos subradiatos fertiles dilata, characteristicam hujus varietatis notam constituunt.

1563  
*\*d. trachyna:* podetiis cylindricis nudis sordide albicantibus, scyphis dilacerato-extensis obscure proliferis crenulato-crispatis; sporocarpiis minutis subsimplicibus.

Cenomyce gonorega d. trachyna. Achar.

Syn. Lich. p. 259. Lichenogr. univ. p. 552.

Capitularia degenerans litt. D. Flörk. in  
Web. et Mohr. Beitr. l. c. p. 315. (specimina juniora nondum explicata.).

*Exsicc.* Flörk. Deut. Lichenen. No. 110.  
(partim, cf. descriptionem l. c. VI. p. 8. datam.).

*Obs.* Forma singularis et notabilis propter aequabilem scyphorum dilacerate proliferorum crispitudinem defectumque foliorum.

\*e. *pleolepis*: podetiis variis, scyphis irregularibus lacero-crispis, e margine varie ramosis vel proliferis, squamis foliolisque obtectis substerilibus. *Cenomyce gonorega* e. *pleolepis*. Achar.  
Synops. Lich. p. 259.

*Cenomyce degenerans*. Flörk. Deut. Lich. VI. p. 8. lit. L. (exclus. *Cenom. gonoregæ* varietate *trachyna*. Acharii).

*Capitularia degenerans* lit. L. Flörk. in Web. et Mohr. Beitr. I. c. p. 319.  
*Baeomyces trachynus* β. *pleolepis*. Achar.  
Method. Lich. p. 348.

*Exsicc.* Flörk. Deut. Lich. no. 110. (partim, scilicet exclusis varietatis *trachynæ* speciminiis).

Ehrh. Cryptog. exsicc. no. 287. *Lichen phyllophorus*.

*Obs.* In hac varietate foliorum, podetiis scyphisque prolificatis insidentium, copia insignis et pro nota diacritica habenda est. Statura autem podetiorum eorumque ramifications, e scyphis jam obsoletis ortae, perquam difformes et variabiles sunt; nam foliatio nulli varietatum formae exclusive propria, sed in omnibus occurrere potest. Quo magis podetia et scyphi eorumque proliferationes foliolis vestita adparent, eo steriliora esse solent.

\*f. *lepidota*: podetiis inaequalibus crassis ventri-  
coso-clavatis scyphisque difformibus squamulosis  
prolifero-luxuriantibus.

Cenomyce gonorega f. *lepidota*. Achar.

Syn. Lich. p. 259.

Capitularia degenerans litt. M. N. Flörk.  
apud Web. et Mohr. l. c. p. 320. (ex-  
clus. synon. Achar.).

*Obs.* Podetia 3—4 uncialia composita sunt e  
prolificationibus scyphorum ter quaterque  
repetitis, ideoque subventricosa et maxime  
difformia se ostendunt, saepe squamis foliolis-  
que cristata et crispata. Ad hanc formam  
*Cenom. degenerantis* specimina adulta, a  
Clar. Friesio (Lichen. Suec. exsicc. no. 54.)  
data praecipue spectant.

\*g. *dichotoma*: podetiis proliferatione scyphorum  
evanescientium dichotomo-ramosis, ramis expansis  
teretibus nudiusculis apice radiato-ramulosis.

Capitularia degenerans lit. K. Flörk. apud  
Web. et Mohr. l. c. p. 318.

*Obs.* 1. Podetia minora nudiuscula tenuiora in  
crebros abeunt scyphos, margine radiatos,  
radiis denuo scyphiferis iterumque radiatis,  
innovationibus quandoque subfoliolosis. Spor-  
ocarpia plerumque minuta.

*Obs.* 2. Ad hanc varietatem etiam *Cenom. cer-*  
*vicornis* Ach. spectare videretur, nisi *Acha-*  
*rius* proliferationes e scyphorum medio origi-  
nem ducere affirmaret. Cf. *Cladon. verticil-*  
*latam.* (no. 13. p. 28. obs. 3.)

Obs. 3.

**Obs.** 5. Cenom. allotropae varietatem *n.* co-  
rumbosam (Achar. Lichenogr. univ. p. 556.)  
hanc formam cognatione attingere facile cre-  
derem, si omnino exstaret. Figurae verum  
ambae Dillenianae (t. XIV. f. 12. B. et 13. E.),  
e quibus Acharius hanc varietatem ex-  
struxit, ad species pertinent inter se et a  
Cladonia degenerante prorsus diversas; ideo-  
que incertum est, quid intellexerit auctor.

\**h. polypaea*: podetiis nudiusculis irregulariter  
scyphiferis, scyphis obsoletis divisis bis ter  
proliferis, radiis ramosis ramis omnibus fertili-  
bus, sporocarpiis majusculis.

Cenom. gonoregæ var. *h. polypaea*. Achar.

Syn. Lich. p. 260.

Capitularia degenerans litt. J. Flörk. apud  
Web. et Mohr. l. c. p. 518.

**Obs.** Statura fere praecedentis, at differt mul-  
titudine sporocarpiorum eorumque magni-  
tudine.

\**i. scabrosa*: podetiis cylindraceis rigidis scabri-  
dis, apice irregulariter ramosis, sporocarpiis  
terminalibus majusculis conglomeratis, scyphis  
distinctis fere nullis.

Cenom. gonoregæ var. *i. scabrosa* Achar.

Syn. Lich. p. 260.

Capitularia degenerans litt. F. Flörk. apud  
Web. et Mohr. l. c. p. 514. (excl. synon.  
Acharii).

*Obs.* Podetia subsolitaria majora crassiora, e scyphis evanescentibus proliferatione orta, hinc inaequabilia, multisque praeterea squamis adspersa, apice in Capitulum, sporocarpiis foliolisque obtectum, dilatata. Facies propemodum formae anomoeae (vid. supra litt. c.), minime autem caespitosa et multo major.

\*k *virgata*: podetiis breviusculis nudis scyphorum proliferatione iterata ramosissimis, ramis tenuibus fasciculatim virgatis; sporocarpiis fere nullis.

Cenomyc. gonoregae var. k. *virgata*. Achar.

Syn. Lich. p. 260.

Capitularia degenerans litt. H. Flörk. apud Web. et Mohr. l. c. p. 516. (excl. synon. Acharii).

*Obs.* Scyphi primarii, ut solet, mox evanescunt, et eorum loco rami numerosi adsurgunt, eodem modo proliferi ramosi et nudi.

\*l. *gracilescens*: podetiis elongatis gracilibus cylindricis iterato-prolificatis subsimplicibus erectis, scyphorum evanescentium marginibus demum foliolosis substerilibus.

Cenom. degenerantis litt. O. *gracilescens*.

Flörk. Deut. Lichen. VI. p. 9.

Cenom. gonoregae var. m. *gracilescens*. Achar. Syn. Lich. p. 260.

Capitularia degenerans litt. O. Flörk. apud  
Web. et Mohr. l. c. p. 321.

*Exsicc.* Flörk. Deut. Lich. no. 111.

*Obs. 1.* Forma simplicior et Cladoniae gracilis  
varietatibus prolificatis aliquatenus consimilis;  
differt vero 1) colore albidiore, 2) margini-  
bus scyphorum obsoletorum foliolosis, 3) de-  
fectu podetiorum subulatorum, et 4) punctis  
albis in podetiorum grandaevorum superficie  
nigricante.

*Obs. 2.* Omnes hae enumeratae variationes per  
gradus fere non sentiendos una in alteram  
transeunt, et formas intermedias innumerabiles  
exhibit, aberrationes diversissimas in  
unam connectentes speciem.

*Obs. 3.* Cenom. gonoregae var. 1. nivea.  
Achar. Syn. Lich. p. 260. ad Cladoniam  
pungentem (rangiformem) Hoffm.) refe-  
renda, quacum eam Acharius jam pridem et  
recte conjunxerat.

\*17. **CLADONIA neglecta**: thalli foliolis crenula-  
tis adscendentibus; podetiis omnibus turbinatis  
scyphiformibus glabris demum granulato-ver-  
rucosis viridi-griseis; scyphis regularibus, mar-  
gine subinde varie digitato- vel extenso - subpro-  
lifero; sporocarpiis plerumque aggregatis sub-  
confluentibus fuscis.

Cladonia neglecta. Linn. Syst. Veget. ed.

Spreng. l. c. p. 273.

Cenomyce neglecta. Flörk. Deut. Lich. I.

p. 11.

*Capitularia neglecta.* Flörk. in Web. et  
Mohr. Beitr. II. p. 506.

Habitat ad terram in pinetis Germaniae, Galliae  
et Norvegiae, forsitan totius Europae. Prope  
Berolinum et Rostochium passim.

*Descript.* Thalli foliola minus divisa, rigidius-  
cula erecta mediocris magnitudinis. Podetia omnia  
scyphiformia  $\frac{1}{2}$  —  $\frac{3}{4}$  uncialia, laevia, subinde gra-  
nulis verrucosis planiusculis, demum subsolutis,  
tecta, intermixta quandoque nigredine, colore po-  
detiorum mortificatorum primario. Scyphorum  
sterilium annosorum cavitas verrucis phylloideis  
crassis repleta est. Margo scyphorum primum  
tenuissime denticulatus demum eroso-scabridus et  
squamosus. Sporocarpia plerumque podicillata  
magna, saepe conglobata; podicillis variis quando-  
que semipollicaribus perquam crassis. Prolifica-  
nes marginales, rarissime centrales e diaphragmatis  
excavati medio, seni iteratae, rarius bis.

*Obs.* Hanc speciem, *Cladonia pyxidata* Fl.  
millies rariorem, *Acharius* in *Synopsi Lichenum*  
p. 252. iterum cum hacce confudit;  
nam varietates, l. c. sub litt. a, b et c, de-  
scriptae, *saltem quoad Synonyma omnia*,  
ipsissimi Lichenis pyxidati Linn., (e tradi-  
tione, a Linnaei discipulis accepta, mihi  
noti,) formae sunt, perquam abhorrentes a  
charactere specifico Cenom. pyxidatae *Acha-  
rii*, in *Synopsi Lichenum* proposito, a diffe-

rentia Cladoniae meae neglectae specifica (cf. Web. et Mohr. l. c.) mutuato. Acharium Cladoniam neglectam prorsus ignorasse, minime contendere velim, cum ipse specimina genuina ad eum miserim; puto tamen, eum speciem, a me detectam, neglexisse.

\*b. *lophura*: podetiis turbinatis, scyphis amplis dilatatis, margine foliaceo-crispis prolificantibusque; sporocarpiis intra squamas immixtis sessilibus vel podicillatis.

Cenom. pyxidatae var. *lophyra*. Ach. Syn.

Lich. p. 253. Lichenogr. univ. p. 555.

*Icon.* Dillen. Histor. musc. t. XIV. f. 9. A.

Hab. cum priore.

*Obs. 1.* A priore aetate tantum differt. Sunt scyphi steriles, margine foliolosi proliferique, tandem subfertiles, sporocarpiis minoribus.

*Obs. 2.* Nomen *lophyrae* in *lophuram* mutavi, a voce λόφουρος.

B. *Podetiis pulverulentis, demum granulatis l. squamoso-scabridis.*

18. CLADONIA *pyxidata* α. thalli foliolis parvis inciso-crenatis; podetiis turbinatis l. elongatis scyphiferis l. subuliformibus tenuissime pulverulentis albis virescenti-incanis cinereisve; scyphis cyathiformibus regularibus, margine integrerrimo crenato dentatoque, radiis demum bisterve prolificatis; sporocarpiis fuscis.

Habitat ad terram, ligna putrida saxaque muscosa in campis et sylvis per omnem Europam ceterasque regiones boreales fere ubique copiosissima et variationibus innumeris. Pyxidatam formam etiam e Brasiliae sylvis retulit Martius.

*Obs. 1.* Propter hanc variationem insolitam et confusionem, in omnibus, adhuc editis, lichenographiis obviam, profusorem varietatum formarumque dispositionem addere juvabit, ab ea, in Weberi et Mohr. Beitraeg. II. p. 287 seq. a me data, aliquanto differentem.

*Obs. 2.* Quodsi plures deteguntur speciei varietates, omnium vulgatissima, si completa, nempe fructibus instructa est, locum τοῦ α. obtinere debet. Varietatem ideo longipedem, in Web. et Mohr. Beitr. I. c. littera β. designatam, nunc in primum colloco locum, cum in pinetis ubique fere conspiaciatur, formaque omnes, speciei proprias, tum steriles tum fructificantes offerat. Nomen *longipes*, ut supervacaneum et minus aptum, neglexi.

*Obs. 3.* Sequentes formae a — m. considerandae sunt ut modi evolutionis, in una stirpe pro loci natalis ratione provenientes, non ut varietates proprie sic dictae. Omnibus varietatis α. sic dictis subvarietatibus character distinctivus: *podetiorum superficies ab initio tenuissime pulverulenta alba*, communis est, parumque ludens, cum pulvis tantum in speciminibus, aprico loco torridatis, magis granulosus evadere soleat. Color variabilis et ex albo saepissime in viridi-cinereum cine-

reumque transit. Specimina grandaeva omnem excedunt definitionem, ideoque aegre diagnosis specifica vel varietatis comprehenduntur. Formae integrae vigentes proponendae sunt! Vegetabilia aetate vel casu corrupta, deformia, ne intrent systema, mutila nullo modo curans! —

a. *tubaeformis*: podetiis scyphiferis, scyphis cythiformibus regularibus margine subintegerrimis.

\*aa) podetiis gracilibus subelongatis, scyphis subangustis.

Cenomyce fimbriata  $\beta$ . conista b. macra.

Achar. Syn. Lich. p. 258.

Capitularia pyxidata C. macra. Flörk.  
in Web. et Mohr. Beitr. II. p. 290.  
et in Berlin. Magaz. 1808. II. p. 159.

**Obs. 1.** Specimina plerumque juniora, semi-pollicaria, pollicaria et majora, tenuiora scyphis angustioribus subintegerrimis. Locis umbrosis ad radices arborum, praecipue pinuum, crescentia podetia viridiora sunt et substerilia, podetiis cornutis saepissime intermixtis.

**Obs. 2.** Cenomyce fimbriata  $\beta$ . conista a. exilis. Achar. Syn. Lich. p. 257. Capitularia pyxidata B. exilis. Flörk.  
in Web. et Mohr. Beitr. II. p. 289.  
huc referri posset, nisi ut forma misera,  
in ligno asseribusque siccis aegre vitam  
degens, silentio praetermittenda vide-  
retur. *Synonymum*, e Dill. Histor.  
musc. t. XIV. f. 11. praeeunte Achario,

citatum, accuratius perpensum, potius ad varietatis chlorophaeae subvarieta-  
tem Pocillum ducendum putavi.

\*bb. podetiis elongatis scyphiferis, scyphis  
regularibus subdilatatis.

Cenom. pyxidata  $\beta$ . longipes E. tubaeformis. Flörk. Deut. Lichen. III. p. 11.

Cenom. fimbriata a. tubaeformis. Achar.  
Syn. Lich. p. 255. (excl. synon. plur.)

Capitularia pyxidata  $\beta$ . longipes E. tubaeformis. Flörk. ap. Web. et Mohr.  
l. c. p. 298.

Cladoniae pyxidatae var. tubaeformis.  
Hoffm. Flor. Germ. p. 122. (excl.  
synon. Dillenii).

Icon. Flörk. in Berl. Magaz. 1808. II.  
t. IV. f. 1. a. 31 — 53.

Vaill. Botan. Paris. t. XXI. f. 6. 8.

Exsicc. Flörk. Deut. Lich. III. no. 54.

\*Obs. Podetia uncialia subbiuncialia cylindrica,  $\frac{1}{2}$  —  $1\frac{1}{2}$  lin. crassa, superne in  
scyphum cyathiformem 2 — 6 lin. latum  
integerrimum vel crenulatum dilatata.

\*cc. podetiis turbinatis in seyphum cyathiformem ampliatis, margine integerrimo vel  
crenulato.

Cenomyce fimbriata  $\beta$ . conista. Achar.  
Synops. Lich. p. 257.

*Cladoniae pyxidatae* var. *simplex*. Hoffm.

Flor. Germ. p. 121.

**Icon.** Dillen. Hist. musc. t. XIV. f. 6.

A. B. (quatenus scyphi delineati pulv-  
rulenti sunt). B 108

**Obs.** Forma vulgatissima in campis ste-  
rilibus pinetisque fere ubique obvia.  
Magnitudo plerumque semuncialis, un-  
cialis, et dimensio scyphorum 3 — 6 li-  
nearum. Scyphi, a Dillenio sub  
litt. B. delineati, e Groenlandia advecti,  
diametrum Europaeorum tertiam par-  
tem excedunt; ad hanc tamen collo-  
candi sunt speciem, non ad *Cladoniae*  
*cocciferae* varietatem aliquam sterilem,  
propter formam peculiarem, scyphis  
*Cladoniae pyxidatae* propriam, colo-  
remque ex cinereo canescentem.

\*b. *denticulata*: podetiis varijs scyphiferis, scyphis  
cyathiformibus margine dentatis.

Cenomyce pyxidata  $\beta$ . longipes F. fimbriata.

Flörk. Deut. Lich. III. p. 12.

*Capitularia pyxidata*  $\beta$ . longipes F. fimbriata.

Flörk. apud Web. et Mohr. I. c. p.  
299. (exclusis synonn. *Acharii* et Hoff-  
manni, quae ad varietatem chlorophaeam  
spectant.).

**Icon.** Flörk. in Berlin. Magaz. 1808. II. t. IV.

f. 1. d. e. h. k — n. fig. 30. 29. 28. 34. 35. b. c.  
37. 25. a — e.

**Obs. 1.** Podetia et scyphi variae sunt magnitudinis, hi in eo vero convenient, ut margine denticulis teretibus obtusiusculis inaequalibus saepe numerosissimis coronati sint. Nomen *fimbriatae*, prius huic formae datum, minus aptum censeo, quia denticuli potius ramis minutis quam fimbriis respondent; tamen in varietate  $\beta.$  *costata* iterum resurget.

**Obs. 2.** Cladoniae pyxidatae varietas *fimbriata* Hoffm., Cenom. pyxidatae var. *fimbriata* Achar. Lichenogr. univ. et Lichen *fimbriatus* Linn. dubiosa sunt, cum auctores laudati verum Dillenii Lichenem, tab. XIV. fig. 8. A. B. C. delineatum et pag. 84. descriptum, (Cladoniae pyxidatae varietatis chlorophaeae statum juniores) vix unquam vidissent.

\*c. *carpophora*: podetiis subturbinatis vel elongatis scyphiferis, scyphis ampliatis vel angustioribus margine fertilibus, sporocarpiis podicillatis simplicibus coadunatisque, podicillis subfastigiatis.

Cenomyce pyxidata  $\beta.$  *longipes* H. carpophora.

Flörk. Deut. Lich. III. p. 14.

Cenomyce *fimbriata e. carpophora*. Achar.

Syn. Lich. p. 256.

Capitular. pyxidata  $\beta.$  *longipes* H. carpophora.

Flörk. in Web. et Mohr. I. c. p. 501.

**Icon.** Flörk. in Berlin. Magaz. I. c. t. IV. fig.

36. a. 37. b. 38. 39.

Dillen. Histor. musc. t. XIV. fig. 6. C. K.

**Obs.** Podetia variant altitudine semi-biunciali et ultra, et scyphi amplitudine usque ad semunciale dimensionem. Figura Dilleniana 6. C. verum hujus modificationis typum repreäsentat, ideoque nullo modo cum Cladonia neglecta Flörk. (Cenom. pyxidata Achar.) conjungi potest. (Contra Acharii opinionem, in Synopsi Lichenum p. 252. proununtiatam). Gradus fertilitatis tamen per quam variabiles, tam sporocarpiorum et podicillorum magnitudine, quam eorum numero.

\*d. *prolifera*: podetiis subturbanatis vel elongatis scyphiferis, scyphis margine bis rarius ter iterato proliferis, sterilibus vel frugiferis.

Cenomyce fimbriata f. *prolifera*. Achar.

Syn. Lich. p. 256.

Capitularia pyxidata  $\beta.$  longipes J. *prolifera*.

Flörk. apud Web. et Mohr. l. c. p. 302.

**Icon.** Flörk. in Berlin. Magaz. l. c. tab. IV. fig. 21—24. c. 40—43. i. m. p. fig. 11. 12. 28. (in textu Acharii synonymum delendum est.)

Vaill. Bot. Paris. tab. XXI. fig. 9.

Dillen. Hist. musc. t. XIV. fig. 6. J. L. M.

**Obs. 1.** Podetia bi-, ad summum, tripollicaria, semel, bis terve e margine innovata seu proliferis, innovationibus hinc inde aggregatis, rarissime centralibus. Margines scyphorum primum tenuissime crenulati denticulatique demum lacero-fissi. Specimina plurima sterilia, fertilium sporocarpia interdum podicillis

longis et validis suffulta, et ipsa crassa et connata.

*Obs. 2.* Cenomycidis allotropae varietatem *ε.* lomagonam (Achar. Lichenogr. univ. p. 556.), Baeom. pyxidati var. *ζ.* apotictam (Achar. Meth. Lich. p. 338.) et Cladoniae pyxidatae var. proliferam (Hoffm. Flor. Germ. p. 122.) synonymis adjungere jure dubitavi, cum e formis Cladoniae pyxidatae Flörk. et verticillatae compositae sint, ut synonyma, ab auctoribus citata, produnt.

*Obs. 3.* Hactenus sub litt. a — d. propositae variationes podetia hujus varietatis scyphifera sunt, scyphis, ab initio regularibus, subdilatatis, immo ampliatis, in varios, huic speciei proprios, evolutionis modos paullatim explicatis, instructa. Sequentes, litt. e — designatae, alteram monstrant seriem, podetia offerentem graciliora, saepe perquam elongata ascyphia subulata ramosaque, vel obscure tantum scyphifera et obtusa vel radiata. Et haec et antecedens series caespites constituunt peculiares saepissimeque segregatos, ut species diversae viderentur. Ad unam eandemque tamen referendae sunt speciem, valde multiformem, 1) propter colorem et pulverulentiam omnino congruentes, 2) cum caespites scyphiferi saepe intercurrentibus observentur podetiis concoloribus subulatis, eodem thallo crescentibus, et 3) radii unius ejusdemque scyphi quandoque in formas seriebus diversis proprias abeant.

*Obs. 4.* Pro loci natalis natura podetia scyphifera quam maxime ludunt magnitudine, gralitate et tenuitate, ceterum jam enumeratis

varietatibus similia. Minimam hujusmodi variationem Cladoniae pyxidatae varietatem hyalinellam vocavi; at praeter minutiem et substantiam tenerorem subpellucidam nullum offert diserimen.

\*e. *cornuta*: podetiis elongatis simplicibus vel subramosis subuliformibus sterilibus.

Cenom. pyxidata  $\beta$ . longipes A. cornuta.

Flörk. Deut. Lich. III. p. 7.

Cenom. fimbriata h. cornuta. Achar. Synops. Lich. p. 257.

Capitularia pyxidata  $\beta$ . longipes A. cornuta.

Flörk. in Web. et Mohr. Beitr. II. p. 293.

*Icon.* Flörk. in Berl. Magaz. 1808. II. p. 141. tab. IV. fig. 1. c. f. g. i. o. fig. 2. a. fig. 3. 4.

15. a. c. d.

Dillen. Hist. musc. tab. XV. fig. 16. E. (specimen minutulum.)

*Descript.* Forma haec vulgatissima caespites offert saepe densos podetiis bi-tripollicaribus subulatis hinc inde ramosis et subscyphiferis, parum fertilibus.

*Obs. 1.* Dillen. Histor. musc. tab. XV. fig. 14.

A. ab Achario ad hanc formam citata, accuratius considerata, potius Cladoniae *ochrochlorae* podetia cornuta et obtusa, sporocarpis sessilibus et subpodicillatis instructa, repraesentare videtur, quorum sporocarpia in-

juvenili statu rufescens forsitan possent, quamquam adulta dilute fusca sunt. Si Dilleniū Cladoniae polydactylae varietatem macilentam, huic figurae quoad habitum non male respondentem, intellexerit, etiam colorēm sporocarpiorum hujus speciei coccineum plane prodere debuisse.

**Obs. 2.** *Baeomyces cornutus.* Achar. Meth. Lich. p. 543. *Cenomyce cornuta.* Achar. Lichenogr. univ. p. 545. *Cladonia cornuta.* Hoffm. Flor. Germ. p. 119. et Lichen cornutus Linn. e synonymorum numero certorum excludenda sunt, cum Auctores hoc nomine podetia cornuta tam pulverulenta quam glabra, et itidem sporocarpiis fuscis et coccineis donata comprehendenterint, ut e descriptiōnibus et citatis patet. Hoc loco podetia tantum tenuissime pulverulenta alba et virescenti-cinerea, sporocarpiis fuscis respicimus, rejectis aliis, ad diversas species pertinentibus.

**Obs. 3.** *Dillenii tabulae XV. figurae 14. litt. D. E.*, ab Achario aliisque ad hanc Cladoniae pyxidatae formam citatae, ad Cladoniae vermicularis varietatem *tauricam* relegandae, cum glabrae sint niveique fere candoris.

**Obs. 4.** *Baeomyces cornutus.* Wahlenb. Flor. Suec. II. p. 849. no. 1648. (excl. fig. 14. Dillen.) et Cenom. cornuta. Fries. exs. no. 116. infra, sub Cladon. coniocraea, adlegantur.

\*f. *dendroides*: podetiis elongatis ramosis, ramis pluries divisis, ramulis subuliformibus substerilibus.

**Obs. 1.** Pulvis tenuis superficie hanc formam, minime raram, a Cladoniae furcatae distinguit varietatibus nonnullis, similiter ramosis, at laevibus aut squamulosa pube exasperatis. Podetia Cladoniae *polydactylae* ramosa, sterilia, simili modo pulverulenta, discernuntur basi eorum viridi-flavescente, et Cladoniae cenoteae specimina tenuiora et ramosa — axillis perforatis. A varietate sequente *h. fastigiata*, differt ramulis longioribus subuliformibus, nec brevissimis fastigiatis.

**Obs. 2.** Ad hanc formam pertinere etiam videtur Cenom. radiatae varietas *γ. contortuplicata*. Achar. Lichenogr. univ. p. 548. differens tantum ramis recurvis et contortuplicatis.

**Obs. 3.** Specimina fructificantia rarius offenduntur. Sporocarpia eorum dilute fusca in racemum congesta observavi, Cladoniarum fruticulosarum inflorescentiae non absimilia.

\**g. radiata*: podetiis elongatis scyphiferis, scyphis angustis margine radiatis, radiis subulatis, interdum denuo radiatis.

Cenomyce pyxidata *β. longipes* G. radiata.

Flörk. Deut. Lich. III. p. 13.

Cenomyce fimbriata b. radiata. Achar.

Synops. Lich. p. 255.

Capitularia pyxidata *β. longipes* G. radiata.

Flörk. in Web. et Mohr. Beitr. II. p. 500.

Cenom. radiata. Achar. Lichenogr. univ.  
p. 547. et var.  $\delta$ . actinota, ibid. 548. (par-  
tim, excl. Dill. tab. XIV. fig. 8. A.)

Cladonia radiata. Hoffm. Flor. germ. p. 120.

Lichen radiatus. Schreb. Spicil. Flor. Germ.  
no. 1114.

Icon. Flörk. in Berl. Magaz. 1808. p. 146.  
tab. IV. fig. 9 - 12. 15. f. fig. 26. r. m. p. fig. 13.

Dillen. Histor. musc. tab. XV. fig. 16.

A. B. D. F.

*Obs. 1.* Specimina pure radiata, radiis longio-  
ribus aequalibus omnibus subulatis, minus  
frequentia sunt; plurima irregularia, radiis  
inaequalibus subulatis obtusis vel fertilibus et  
subscyphiferis.

*Obs. 2.* Podetia Cladoniae gracilis radiata fa-  
cillime ab hac forma distinguuntur superficie  
laevi et colore plerumque fuscescente.

*Obs. 3.* Cenom. radiatae varietates *actinosa* et  
*holosetrista*. Schleich. Catal. 1807. va-  
riationes supra dictae radiatae individuales  
sunt, nomina peculiaria vix merentes.

\*h. *fastigiata*: podetiis elongatis ramosis, ramis  
apice multifidis, ramulis brevissimis attenuatis  
fastigiatis, apice acutis nigricantibus sterilibus.

*Obs.* Forma singularis Cladoniae cenoteae ali-  
quanto similis, at differt podetiis praecipue  
superiore tantum parte ramosis et axillis clau-  
sis. Bipollicari est statura et semper sterilis.

\*i. *nemoxyna*: podetiis elongatis ramosis, ramis subuliformibus sterilibus et fertilibus.

Cenomyce fimbriata g. *nemoxyna*. Achar.

Synops. Lich. p. 257.

Cenom. radiata β. *nemoxyna*. Achar. Li-  
chenogr. univ. p. 548.

Cladoniae radiatae variet. *polycerata* Hoffm.  
Flor. Germ. p. 121. (partim).

*Icon.* Dillen. Histor. musc. tab. XV. fig. 16. C.

*Obs.* Hanc formam cum insequente varietate *cladocarpia* olim conjunxi. Propter ramos longiores subuliformes, fructiferis adsociatos, seorsim proponendam esse credidi.

\*k. *cladocarpia*: podetiis elongatis superne ramosis, ramis brevibus inaequalibus obtusis sterilibus fertilibusve, sporocarpiis solitariis l. conglomeratis.

Cenomyce pyxidata β. *longipes* D. *cladocarpa*.

Flörk. Deut. Lichen. III. p. 11. (exceptis podetiis subuliformibus, ad praecedentem formam *nemoxynam* referendis).

*Obs.* Podetia crassiora et tenuiora, bi-tripollicaria, magis minusve ramosa, ramis extensis vel abbreviatis obtusis multifidisque, sporocarpiis solitariis majoribus coadunatis quandoque numerosissimis, minutioribus segregatis.

\*l. *Fibula*: podetiis elongatis subcylindricis, obscure scyphiferis, sporocarpiis sessilibus l. brevissime podieillatis congestis et confluentibus.

Cenomyce simbriata d. fibula Achar. Syn.

Lich. p. 256.

Cenom. allotropa γ. fibula. Achar. Liche-  
nogr. univ. p. 554. (excl. fig. citata Vaill.)

Cenom. bacillaris β. apolepta. Achar. l. c.  
p. 542. (sporocarpiis ab initio fuseis, ex-  
clusis coccineis).

Cenom. pyxidata β. longipes C. Fibula. Flörk.

Deut. Lich. III. p. 10.

Capitularia pyxidata β. longipes C. Fibula.

Flörk. apud Web. et Mohr. l. c. p. 296.

Baeomyces bacillaris ε. apoleptus. Achar.  
Meth. Lich. p. 330.

Baeomyces turbinatus β. fibula. ibid. p. 340.

(si Acharius podetia pulverulenta intel-  
lexerit, nec glabra, quod fere suspicor,  
cum hanc formam ut Baeom. turbinati  
(i. e. Cladoniae gracilis, cuius superficies  
laevis est) varietatem consideret.

Cladonia macilenta v. Fibula. Hoffm. Flor.

Germ. p. 127. (excl. cit. fig. Dillen. B.)

Lichen fibula. Achar. Prodr. p. 194. (cum  
ead. restrictione).

Icon. Flörk. in Berlin. Mag. l. c. tab. IV. fig.

14. 16. 17.

Dillen. Hist. musc. tab. XV. fig. 15. A.  
(nec B., ad Cladoniam cariosam spectans),

*Exsicc.* Flörk. Deut. Lichen. no. 52.

*Obs.* Podetia 1-, 2-, 3-pollicaria subcylindrica, vix simplicissima et omnino regularia, ut Dillenius ea effluxit; saepissime superne ramo uno alterove et reliquiis scyphi minuti obsoleti deformata.

\*m. *abortiva*: podetiis elongatis subsimplicibus, apice obtusis vel obscure scyphiferis, scyphis crenatis subdilaceratis sterilibus.

Cenomyce fimbriata c. *abortiva*. Achar.

Syn. Lich. p. 255.

Cenom. *pyxidata* β. *longipes* R. *abortiva*.

Flörk. Deut. Lich. III. p. 9.

Capitularia *pyxidata* β. *longipes* B. *abortiva*.

Flörk. ap. Web. et Mohr. I. c. p. 294.

*Icon.* Flörk. in Berlin. Magaz. I. c. tab. IV.

fig. 5. 6. 18. 27, a. 36, b.

*Exsicc.* Flörk. Deut. Lich. no. 51.

*Obs. 1.* Podetia diversae magnitudinis et varia.

Nota characteristicā in eo consistit, quod podetia ramique breves apice mutilata et quasi dilacerata adpareant, rarius sporocarpio uno alterove minuto donata.

*Obs. 2.* Omnes hic enumeratae varietates innumerabilibus variationum gradibus inter se connectuntur, et per transitus occultos confluunt; immo formae indicatae ipsae perquam ambiguae et aegre bis terve omni modo congruentes inveniuntur. —

Restat ceterum morbosa quaedam varietas *ionosmia*, cuius podetia byssō aliqua tenuis-

sima arachnoideo-pulverulenta pallide e carneo subviolacea, violam redolente, hic illic obducta sunt. Byssus haecce parasitica in primis vexat podetia elongata, sub litteris e-m proposita, rarius podetia scyphifera a-d, quae validioris videntur naturae. Podetia, hoc morbo contacta, aliquanto turgescunt, et gibbosulam induunt faciem colorremque paululum alienatum. Nulla Cladoniarum species alia huic casui exposita est, et haec tantum, si locis umbrosis nascitur. Exsiccata specimina, post menses aliquot humectata, denuo spirant odorem ionopnoum; longius asservata inodora esse solent.

\**β. costata*: podetiis elongato-turbanatis, squamuoso-pulverulentis cinereo-viridibus denu datisque albis, in longitudinem costatis subfissis, scyphiferis; scyphis cyathiformibus subregularris, margine crenulatis fimbriatis bis, ter quaterve proliferis; sporocarpiis fuscis.

Habitat ad terram umbrosam muscosam in pinetis Germaniae. Circa Rostochium non infrequens.

*Descript.* Podetia graciliora scyphis angustioribus, quam in formis varietatis praecedentis a-d, quibuscum, varietatum more, per gradus adpropinquantes confluunt. Ab initio podetia scyphique granuloso-pulverulenta sunt, paullatim pulvis in squamulas abit tenuissimas, dissolutas rariusque sparsas, ut subjacens podetiorum substantia

in longitudinem costata fissa, saepe albissima glabra,  
denudetur. Scyphorum margo plerumque inaequa-  
bilis, demum tenuissime fimbriatus, sporocarpio-  
rum podicillis jam prominentibus at sterilibus.

*Obs. 1.* Haeccce forma fortassis *Lichen fimbriatus* Linn. et autorum est, et ipse pro eo habui, exclusis tamen figuris Dillenianis tab. XIV. f. 8. A. B. C. Prolificationes scyphorum marginales iis varietatis praecedentis non male respondent, quas etiam altitudine aequant, at graciliores sunt et substantia tenuiores. Tota infirmior, et aetate subcariosa evadit, foliisque adspersa.

*Obs. 2.* 1265 Podetia subuliformia hujus varietatis rarissima sunt, ceterum pubē squamosa distinguenda. Lichenes radiatum et Fibulam, ab hac varietate oriundos, nunquam vidi, ideoque supervacaneum videbatur, formas ceteras, minus insignes, nominibus propriis significare.

*Obs. 3.* Synonyma varietatis certa mihi ignota; credo tamen auctores hanc varietatem, si viderint, cum Cladoniae pyxidatae varietate jam descripta  $\alpha$ . confudisse.

*y. carneo-pallida*: podetiis subelongatis subuliformibus scyphiferisve pulverulentis viridi-albis; sporocarpiis carneo-pallidis.

Cenomyce fimbriata *y. carneo-pallida*.

Achar. Syn. Lich. p. 258.

Capitularia pyxidata *y. carneo-pallida*.

Flörk. in Web. et Mohr. Beitr. II.  
p. 304.

Habitat ad terram et trunco<sup>s</sup> putridos, Hercey-niae (prope Oderbrück).

*Obs.* Simili modo mutatur, ac varietas  $\alpha$ ; formae tamen in hac varietate *carnea-pallida* minus considerantur, quam sporocarpiorum color, qui dilute carneo-pallidus est manetque, et nihil fusi ostendit. Aliarum specierum formarumque sporocarpia, primum dilute fusca, paullatim in fuscum et obscure fuscum vertuntur.

\* $\delta$ . *expansa*: thalli foliolis maximis ambitu undulatis, lobatis, pagina superiore viridibus subtus albissimis subpulverulentis; podetiis gracilibus elongatis subpulverulentis albis, subuliformibus obtusisvc sterilibus.

Habitat ad radices arborum in sylvis circa Rostochium rarius.

*Descript.* Thalli foliola semipollicaria et latiora. Podetia, cladoniarum more, e pagina foliorum thalli superiore erumpentia, gracilia alba pulverulenta interdum subdecorticata subuliformia vel obscure scyphifera, scyphis angustissimis sterilibus.

*Obs. 1.* *Cenomyce ceratophylla* Ach. Syn. p. 271. in Jamaicæ montibus altissimis indigena, ab hac varietate differt colore in flavum vergente et foliolis thalli magis laciniatis marginaque ciliatis. Sporocarpiorum color coccineus adhuc dubius est, cum fructificantia specimina completa nullus adhucdum viderit. Specimen, olim a Swartzio acceptum, po-

detiis paucis gracilibus subuliformibus, apice dilute fuscis, instructum, ad varietatem expansam proxime accedit, substantia tamen paulo tenerior videtur.

**Obs. 2.** Ut synonymum ad varietatem hancce expansam, certe ad Cladoniae pyxidatae variationem aliquam, saltem quoad thallum, referri debet: *Baeomyces rubiformis* Achar. method. Lichenum p. 324. tab. VII. f. 5. Cenomyce rubif. Ejd. Lichenogr. univ. p. 526. Lecidea rubiformis Ejd. Synops. lichen. p. 52. — Corpuscula, foliolis thalli insidentia, speciem quidem sporocarpiorum prae se ferunt, at non solum ex foliolis thalli, sed etiam e podetiorum epidermide erumpunt, et intus solida sunt, nec inania sive inflata, colore pri-  
mum rubro-fusco demum nigro, solitaria ce-  
terum et subglobosa vel aggregata et coadu-  
nata, certe parasitica. Cum et in aliis Liche-  
num speciebus inveniuntur haec corpuscula  
*Sphaeriolarium Lichenum* dixi.

\**ε. pterygota*: thallo folioso insigni, foliolis inciso-lobatis crenatisque, fascieulis pilorum paucis marginalibus; podetia turbinata laevia, demum pulverulenta viridi-alba scyphifera vel subulata; scyphi regulares integerrimi crenulati tandem foliolis thalliformibus margine obtecti, semel proliferi; sporocarpia subsessilia fusca.

Habitat ad terram graminosam umbrosam in pinetis prope Rostochium passim, etiam prope Fontainebleu in Gallia lectam mecum benevole communicavit cel. Persoon.

**Descript.** Podetia prolificata semipollicaria interdum pollicaria sunt, scyphi 3—5 lin. lati. Foliola thalli et ad marginem scyphorum crescentia iis Cladoniae alcicornis quidem subsimilia, in primis etiam propter fasciculos pilorum marginales, tamen breviora sunt et latiora, aliterque colorata. Sporocarpia in omnibus adhuc visis speciminibus minuta erant; adulta mihi ignota.

**Observat.** Habitus Cladoniae quidem alcicorni quodammodo respondet, etiam varietati lophurae Cladoniae neglectae; tamen pulvis in podetiorum superficie et praevalens albedo, nec non podetia cornuta, in speciebus dictis nunquam visa, hanc formam Cladoniae pyxidatae varietatem esse, etsi per quam singularem, luculenter docent. Pilorum fasciculi commemorati et foliola, scyphorum marginem coronantia, loci natalis graminosi et umbrosi effectus considerari debent.

\*2. *chlorophaea*: thalli foliolis minutis crenato-incisis fuscis; podetiis elongato-turbinatis granulato-pulverulentis viridi-fuscis subcinereisque scyphiferis; scyphis regularibus margine vel medio semel bis proliferis; sporocarpiis sessilibus vel varie podicillatis saepe confluentibus fuscis.

Cladon. *chlorophaea*. Linn. System. veget.  
ed. Spr. l. c. p. 273.

**Icon.** Dill. Hist. Musc. t. XIV. f. 8. A. B. C.

**Exsicc.** Schaeerer. Lichenes Helvet. exsicc.

*neglecta* 49

no. 54. *Cladonia pyxidata*  $\alpha$ . *polyscypha*. D. partim. (Cetera specimina ad Cladoniam neglectam pertinent.) Ibid. no. 55. E. partim. (una cum *Cladoniae pyxidatae*  $\alpha$ . forma radiato-prolifera.) Ibid. no. 59. *Cladonia pyxidata*  $\gamma$ . *longipes* G.

Habitat ad terram in pinetis Germaniae, Helvetiae, Norvegiae et alibi. In tractu Rostochiensi et prope oppidum Wahren in magno ducatu Mecklenburg. vulgatissima.

*Descript.* Thalli foliola fusca, subitus albissima, minuta, parum crenato-incisa. Podetia simplicia semipollucaria, prolificata pollucaria vel sesquipollucaria, gracilia, ut Dilleniana figura 8. A, vel crassiora, (fig. B. C.) superne in scyphum subangustum, ore interdum subcontracto, dilatata. Scyphi steriles margine subintegerrimi, demum denticulati vel subserrati, nunquam fimbriati. (Dillenii fig. 8. C. nimis rudis est.) Scyphorum fertilium margines varie extenduntur. Sporocarpia adhuc minuta, qualia Dilleniuss fig. 8. A et B delineavit, subsessilia, adulta longius et crassius podicillata esse solent, multis in unum saepe capitulum coadunatis. Alias discreta manent, singula podicillis propriis et variis suffulta. Prolificationes saepe e medio scyphorum concavo gregatim (2—5) attolluntur, in aliis e scyphorum margine, quando-

*lonato ticta*

*neso  
ticta*

que etiam e podetiorum latere, et tunc numerosae.

Nota diacritica consistit in superficie granulato-pulverulenta et colore ejus virescenti-fusco.

*Obs. 1.* Varietatem hanc optimo jure speciem censem tam esse facile crediderim, nisi specimina pallidiora et glauca, itidemque magis pulverulenta, saepissime intercurrentia, Cladoniae pyxidatae affinitatem prodere viderentur. Attamen Cladoniae pyxidatae varietatis  $\alpha$ . specimina nunquam in consortio cum nunc descripta chlorophaea crescentia vidi, ideoque ambas primum pro diversis speciebus habui.

*Obs. 2.* Scyphi hujus varietatis saepe fungulis parasiticis, dilute fuscis, sporocarpia simulantibus, vexantur, diaphragmate, margine et sub margine, podetiorum etiam latere provenientibus. A sporocarpiis distinguuntur colore et deformitate. Fungulus hic interdum in Cladoniae pyxidatae  $\alpha$ . scyphis observatur, vix in Cladoniarum specie alia.

*Obs. 3.* Hujus varietatis specimina, loci natalis iniqua conditione oppressa, videntur: Cenomyce sive Cladonia Pocillum, thallo foliaceo, foliolis crassis rotundato-lobatis depresso-imbricatis confluentibusque olivaceis vel fuscis; podetiis omnibus turbinato-scyphiformibus cum diaphragmate granulatis demum verrucosis cinereo-fuscis; scyphis regularibus quandoque semel bis proliferis; sporocarpiis interdum maximis conglobatis fuscis. Cenomyce neglecta b. Pocillum. Flörk. Deut. Lich. no. 200. Cenom. Pocillum Achar. Syn. p. 253. Cenomyce pyxidata  $\epsilon$ . Pocillum. Ej. Lichenogr. univ. p. 535. Capitularia pyxi-

data δ. Pocillum. Flörk. in Web. et Mohr.  
alib. Beitr. II. p. 305. et in Berl. Magaz. 1808. II.

p. 139. D. Baeomyces Pocillum Achar.  
method. p. 336. tab. VIII. f. 6. Dill. Hist.  
musc. t. XIV. f. 11. (specimen junius). —  
Habitat ad muscos destructos locis saxosis  
apricis Germaniae, Helvetiae, Galliae, Sue-  
ciae; in fodina calcaria Rüdersdorffiana prope  
Berolinum et alibi.

Thallus crassus quandoque fere placenti-  
formis, perquam insignis est, at minime con-  
stans, sed varie ludens, et in thallum disper-  
sum saepissime abiens. Podetia plerumque  
brevia, vix longiora, quam in figura Dille-  
niana citata; tamen et majora evadunt,  
immo pollicaria, nonnunquam penitus granulis  
verrucisque subsolutis tecta, ut etiam scy-  
phorum cavitas.

Ex omnibus patere videtur, specimina esse  
imperfecta, aetatis progressu in faciem mutata  
alienam, ideoque in varietatum numerum vix  
recipienda.

\*b. *capreolata*: podetiis gracilibus elongatis gra-  
nulato-pulverulentis squamosisque viridi-fuscis,  
flexuosis curvatis subulatis vel obtusis sub-  
sterilibus.

Habitat ad terram in pinetis cum priore passim.

*Observat.* Pulvis superficialis, e granulis con-  
stans crassioribus, et color viridi-fuscus,  
hanc formam praecipue a Cladoniae pyxidatae  
varietatis α podetiis cornutis, quandoque simi-  
liter curvatis, distinguunt. Podetia haec  
capreolata a varietate chlorophaea derivanda

esse, e perpetua consortione eorumque superficie natura et colore congruentibus mihi patuit.

\**c. fruticulosa*: podetiis gracilibus elongatis granulato-pulverulentis squamosisque cinereis vel fuscis, ramosis ramosissimisque, ramis subulatis; sporocarpiis terminalibus minutis fuscis.

Habitat ad terram in pinetis cum prioribus.

In silva *Damerow* prope pagum *Barnsdorf* in ditione *Rostochiensi* et alibi haud rara.

*Descript.* Podetia sesquiuncialia et biuncialia cum scyphis varietatis chlorophaeae eodem thallo seorsimque crescentia, in primis basi et dimidia parte inferiore densa pube squamosa vestita esse solent, parte superiore, ubi ramos multos emittunt, nudiuscula, squamis destituta, accuratius observata tamen pulverulenta sunt, colore baseos cinereo-vel viridi-fusco in cinereo-albidum vergente. Sporocarpia, si adsunt, in ramis terminalia ideoque sparsa, aliquando et confertiora offenduntur; ramis racemi ad instar divisis insidentia. Podetia plurima tamen sterilia.

*Obs. 1.* Forma haec in multis cum *Cladoniae* pyxidatae  $\alpha$ . formis cornuta, dendroides, fastigiata convenit, interdum etiam ad colorem earum album pulverulentiamque teneram proxime accedit; in summa tamen habitus et color satis differunt, et formas ceteras varie-

tatis  $\alpha$ , abortivam, Fibulam, radiatam scilicet,  
a varietate chlorophaea oriundas, nunquam  
vidi.

*Obs. 2.* De Cladonia glauca, huic formae quoad  
habitum, colorem pulverulentiamque proxima,  
cf. infra (no. 34.) dicta. 1240

*Obs. 3.* Cladoniae pyxidatae, et forte aliarum  
specierum omnium, specimina, aetatis pro-  
gressu corrupta, deformia evadunt, obscura,  
erosa, foliolis, squamis nodulisque vario modo  
adspersa, ut aegre distinguantur. Talia  
specimina, cum a facie originaria integra  
nimir aberrent, rejicienda sunt. Hujus loci  
censenda: Cladoniae pyxidatae var. chloro-  
phaeae subvar. *lepidophora* Fl. — specimina  
grandaeva, obscura, in longitudinem fissa,  
squamis densissime obiecta. 1267

19. CLADONIA *ochrochlora*: podetiis elongatis  
gracilibus, dimidia fere parte inferiore glabris,  
superiore pulverulentis, e pallido cinereo-viri-  
dibus, subulatis, truncatis vel scyphiferis; scy-  
phis angustis margine dentatis; radiatis demum  
proliferis, cavitate eorum dentiumque basi gla-  
bris, sporocarpiis fuscis. N3

Cenomyce coniocraea  $\alpha$ . Flörk. Deut. Li-  
chen. VII. p. 11. (specimina flexuosa in-  
completa). 4

*Icon.* Dillen. Hist. musc. tab. XV. f. 14. A.

Habitat ad truncos putridos terramque ligneam  
et turfosam in silvis Germaniae. In silva  
*Rostocker Heide* haud infrequens.

*Descript.* Thalli foliola mediocri sunt magnitudine, lobato-crenata, laete viridia, subnitentia, subtus albissima nuda, laciniata ceterum, laciniis crenatis. Podetia uncialia sescuncialia cylindrica  $\frac{1}{2}$  — 1 lin. crassa. Parte sua inferiore subdimitia glabra subnitentia sunt, e pallido cinereo-viridia, superne pulverulenta, concolora vel parum dilutiora, tandem, pulvere deterso, decorticatam praebent faciem, albissima et passim flavida fiunt.

Pulvis ex epidermide rupta oritur, cavitatis scyphorum epidermide semper integra uti et baseos dentium, scyphorum marginem coronantium. Scyphi plerumque angustiores modice cavi, margine eorum semper denticulato, mox radiato, radiis tenuissimis, alias magis minusve crassioribus, denique semel, quandoque binis vicibus iterum proliferis. Sporocarpia, podesiorum dentiumque marginalium apice crescentia, subsolitaria majuscula, rarius conferta, subtus dilute superne obscure fusca.

*Observat.* 1. Species distinctissima, quam olim cum Cladoniae pyxidatae podetiis gracilibus, postea cum Cladonia coniocraea male conjunxisse intelligo. Colore magis minusve in pallido-viridem vergente, cavitasque scyphorum laevitate semper constante, praesertim a prima distinguitur, a coniocraea toto habitu abunde differt.

*Obs.* 2. Ut accuratiorem habeas formarum, in diagnosi specifica significatarum notionem,

gradibus evolutionis sequentibus, ad Cladoniae pyxidatae normam, nomina imposui singularia, scilicet ut sic dictis subvarietatibus, minime vero varietatum proprie sic dictarum locum dignitatemque eis tribuens.

\*a. *ceratodes*, podetiis simplicibus cylindricis vel subventricosis subulatis.

**Observat.** Forma haecce Cladoniae pyxidatae podetiis cornutis respondet, nisi quod simplissima, vix unquam ramosa sit, et statura plerumque multo humiliore. De thallo, colore et pulvere superficiali nihil dicendum, cum character specificus, in diagnosi datus, et in hac forma, ut in sequentibus, praevaleat.

\*b. *truncata*, podetiis cylindricis, apice vix in-  
crassatis, obtusis vel truncatis, sive in scyphu-  
lum angustissimum margine cephalodiis minutis  
fusco-nigris coronatum, desinentibus.

**Obs. 1.** Podetiis Cladoniae pyxidatae respondet abortivis, itidemque scyphiferis junioribus, subvarietati tubaeformi, scypho angustiore subclauso, nisi quod Cladoniae pyxidatae scyphuli in statu juvenili saepissime integerrimi sint, ii vero Cladoniae ochrochlorae ab initio semper cephalodiis minutissimis fusco-nigris denticulati.

**Obs. 2.** Si cephalodia demum in sporocarpia excrescent majora, confluentia, forma oritur, Cladoniae pyxidatae subvarietati fibulae simili. Formae insequentes c) odontota, d) actinota et e) paraphyomena, si fertiles sunt, earumque sporocarpia adolescunt, in formas

abeunt, Cladoniae pyxidatae subvarietatibus carpophorae et cladocarpiae respondentes.

**Obs. 3.** Figura in Dillenii Histor. musc. tab. XV. f. 14. A. delineata, has, sub litteris a et b nominatas, formas optimie repraesentat, et facile mihi persuadeo, Dillenium eas significare voluisse, quamquam figura haec olim ad alias species, et a me ipso, citata fuit. Verba Dillenii (p. 90.) „limbo rufescente tuberculoſo“ non coccineum sed rufo-fuscum colorem sporocarpiorum juniorum indicare perquam probabile est.

\*c. *odontota*, podetiis cylindricis scyphiferis, scyphorum margine sporocarpiis podicillatis dentato.

**Obs.** Cladoniae pyxidatae subvarietati denticulatae respondet. Denticuli saepe inaequales sunt, alii brevissimi subradiiformes.

\*d. *actinota*, podetiis cylindricis scyphiferis, scyphorum margine radiato, radiis subulatis vel truncatis.

\*e. *paraphyomena*, podetiis cylindricis scyphiferis, scyphorum margine radiato, radiis iterum scyphiferis sive proliferis.

**Obs. 1.** Radii plerumque semel, vel bis, rarius tribus vicibus proliferi.

**Obs. 2.** Harum formarum, quas indicavi, specimen fertilia separatim proponere, supervacaneum videbatur, cum specimen fertile a sterili haud segregari debeat. In Cladonia pyxidata describenda feci, cum ejus formae fructiferae ab auctoribus partim ut species distinctae venditatae sint.

\***β.** *phyllostrota*: podetiis squamis phylloideis adspersis.

Habitat cum priore.

**Obs.** Podetiorum statura, pulverulentia colorque prioris **α**, differt tamen haec varietas copia squamarum, thalli foliolis similium, quibus podetia adsperguntur.

\***γ.** *nana*: podetiis brevibus gracilissimis, subramosis flexuosis parte inferiore glabris, superne pulverulentis pallide e viridi cinereis scyphiferis; scyphis angustis margine denticulatis subradiatis substerilibus.

Habitat cum priore.

**Descript.** Podetia semuncialia et paulo majora  $\frac{1}{4}$  —  $\frac{1}{2}$  lin. crassa, varie curvata et flexuosa, inferiore parte dimidia et ultra glabra, superne interrumpente pulverulenta. Scyphorum membrana intergerina concava glabra, margo eorum cephalodiis minutissimis fusco-nigricantibus coronatus. Prolificationes et sporocarpia completa fere nulla.

**Obs. 1.** Hujus varietatis rami et radii, si ad- sunt, subtruncati.

**Obs. 2.** Variationes intermediae; hanc et formam **α** connectentes, saepius adparent.

\***20.** *CLADONIA pityrea*: thallo minuto squamu-  
loso; podetiis elongatis gracilibus, junioribus  
glabriusculis, deinde furfuraceo- vel squamu-  
loso-pulverulentis, e viridi albido-cinereis,

hinc inde decorticatis subpellucidis, omnibus scyphiferis; scyphis angustis irregularibus margine denticulato-fimbriatis, hinc proliferis; sporocarpiis fuscis.

*Cladonia pityrea.* Linn. Syst. Vegetab.

I. c. p. 273.

*Cenomyce pityrea.* Flörk. Deut. Lich.

X. p. 9.

*Cenom. pityrea.* Achar. Syn. Lich. p. 254.

*Capitularia pityrea.* Flörk. in Web. et

Mohr. Beitr. II. p. 182.

*Icon.* Dill. Hist. musc. tab. XV. f. 20. (cf. observationem subjunctam primam).

*Exsicc.* Flörk. Deut. Lich. no. 193. A et B.

Habitat ad terram et ad truncos arborum putridos in pinetis Germaniae. Circa Berolinum et Rostochium vulgaris. Etiam ex insula St. Mauritii adlata est.

*Descript.* Thallus minutus squamulosus, squamulis laciniatis constans, mox evanescit. Podetia 1 —  $1\frac{1}{2}$  pollicaria gracilia (interdum crassiora  $1\frac{1}{2}$  linearia,) ab initio substantia corticali cohaerente glabra pallide cinereo-viridi vestita, post breve tempus in pulverem furfuraceo-squamulosum, e viridi albido-cinereum fatiscente. Pulvere abstergo subjacens podetiorum substantia adparet alba glabra parum pellucens, interdum in

longitudinem fissa, et quasi erosa. Specimina sic comparata Cladoniae cariosae valde sunt similia, et cum ea confundi possent, nisi originem longè alienam ducerent. Scyphi plerumque minuti, margine denticulati, deinde inaequaliter extensi, denticulato-fimbriati radiatique, radiis semel proliferis. Sporocarpia dilute, subinde obscure fusca, subpodicillata, saepe subsessilia, in capitula majora congesta.

*Observat. 1.* De Dillenii figura (tab. XV. fig. 20.) citata conferendum est, quod ad Cladoniae degenerantis varietatem c. anomoeam diximus. Re vera plurium haec figura specierum repraesentat imaginem, quae, quoad habitum congruentes, accuratius inspectae, perquam dissimiles sunt. Scyphi intermixti, margine integerrimo praediti, ad Cladoniae pyxidatae varietatem chlorophaeam ducendi sunt, saepe in Cl. pityreae consortio crescentem.

*Obs. 2.* Cenomyces pityreae varietates b. acuminatam et c. decorticatam Ach. l. c. propositas, ab hac specie sejungendas esse, plane mihi patet. Priorem ad Cladoniae furcatae varietatem adspersam duco, posteriorem ut propriam speciem (vid. p. 10.) descripsi.

\**β. cladomorpha:* podetiis proliferatione scyphorum evanescentium subdichotomo- vel trichotomo-ramosis gracilibus, ramis expansis teretibus subsquamosis apice scyphuliferis vel radiotramosis; sporocarpiis minutis capitatis fuscis.

*Coralloides scyphiforme* cet. Dill. Hist. musc.

p. 87. t. XIV. f. 12. B.

Habitat ad terram foliis acerosis tectam in pinetis,  
in silva Damerow prope pagum Barnsdorf,  
rarius.

**Descript.** Podetia gracilia bis terve prolificata,  
pollicaria, glabriuscula hinc inde squamulis ad-  
spersa. Ramuli et scyphuli terminales eorumque  
radii perquam tenues. Sporocarpia completa de-  
sunt, eorum loco cephalodia sive capitula minutis-  
sima fusca tantum observo.

**Observat. 1.** Dillenii synonymum allatum  
(tab. XIV. f. 12. B.) olim Clad. degenerantis  
varietati dichotomae (vid. supra p. 46.) ad-  
scriptum, rectius ad hanc varietatem, nunc  
detectam, ducendum esse, persuasum habeo.

**Obs. 2.** Cum Cladoniae squamosae varietate  
multibrachiata (vid. infra) haecce Dillenii  
figura similiter conjungi posset, habitu nunc  
descriptae var. cladomorphae non absimili;  
scyphi varietatis multibrachiatae tamen pervii,  
nec clausi sunt, quod Dillenius, ut credo,  
adnotare debuisset.

\**y. pellucida*: podetiis elongatis cylindrico-sub-  
turbinatis pulverulentis subsquamulosis, ex albo  
caesio-viridibus omnibus scyphiferis; scyphis  
subangustis ab initio margine inaequaliter den-  
tato-fimbriatis radiatisque, semel bis proliferis  
sterilibus.

Habitat ad terram in pinetis prope Oldendorf,  
in tractu Rostochiensi, rarius.

*Descript.* Forma quasi intermedia inter Cladoniam pyxidatam  $\alpha$ . et pityream, huic tamen cognatione accedere, nec priori, ostendunt substantiae teneritas scyphorumque angustorum radii marginales nunquam deficientes inaequales. Thallus constat foliolis sive squamis minutis, laciñato-incisis caesio-viridibus subtus albissimis nudis. Podetia 1 — 2 uncialia sensim in scyphos perfecte clausos, 1 — 3 lin. in diametro metientes, ampliata sunt, quorum margo radiis gracilibus numerosis, 1 — 3, immo 6 lin. longis, et iterum saepe proliferis, obsessus est. Pulvis caesio-viridis superficie laxe dispersus, ut substantia subjacens podetiorum alba subpellucida hinc et inde denudetur. Pars podetiorum inferior aequa pulverulenta, ac superior. Sporocarpiorum loco cephalodia minuta fusca tantum vidi.

\*δ. *hololepis*: thallo squamuoso subpulvinato; podetiis elongatis subsimplicibus, pulvere squamuoso-furfuraceo pallide albo-viridi densissime circum circa vestitis, apice obscure scyphiferis et fructigeris; sporocarpiis subsolitariis planiusculis centro perforatis fuscis.

Habitat ad arborum annosarum radices in

silvis acerosis et frondosis prope Berolinum  
et Rostochium.

*Descript.* Thalli foliola squamulosa tenuissime  
laciñiata granuloso-subpulverulenta muscos den-  
sissime incrstant. Podetia  $\frac{1}{2}$  pollicaria et parum  
longiora, magna squamarum, thallo similiūm, copia  
vestita et tanquam in eas immersa adparent, ex-  
cepta parte eorum superiore, quae nudiuscula esse  
solet, et aliquanto incrassata, sporocarpio solitario  
vel paucis coadunatis, centro perforatis et annulum  
formantibus, terminata.

*Observat.* Inter hanc et antecedentem varie-  
tatem pellucidam plurimae observantur varia-  
tiones graciliores crassiores, magis minusve  
squamis furfuraceo-pulverulentis adspersae,  
itidemque steriles fertilesve; duae nominatae  
fines formarum aberrantium speciei esse vi-  
dentur, quarum varietas  $\alpha$ , quae simul vul-  
gatissima est, medium obtinet locum.

\*21. *CLADOÑIA coniocraea*: thalli foliolis cras-  
siusculis lobato-crenatis; podetiis longissimis  
cylindricis subventricosis strictis, cinereo-viri-  
dibus glabris, apice pulverulentis subulatis, ob-  
tusis vel scyphiferis; scyphis angustis irregula-  
ribus quandoque subradiatis, sporocarpiis fuscis.

*Cladonia coniocraea.* Linn. Syst. Veg. ed.

Spreng. l. c. p. 272.

*Cenomyce coniocraea* var. excelsa. Flörk.

Deut. Lich. VII. p. 15.

*Baeomyces cornutus.* Wahlenb. Flor. Suec.

II. p. 849. (exclusis synn. plur.)

*Lichen cornutus.* Timm. Flor. Megap. Prodr.

p. 250. no. 1029. (secund. spec.)

*Exsicc.* Flörk. Deut. Lich. no. 139.

Fries. Lich. Suec. exsicc. no. 116.

Habitat ad terram in pinetis Germaniae, Sueciae.

Prope Berolinum, Rostochium et oppidum

Wahren in magno ducatu Mecklenburgensi  
vulgaris. E Silesia benevole misit clar. de

Flotow, ex Hercyniae regionibus am.

Wallroth.

*Descript.* Thalli foliola podetiis concolora,  
subtus albissima nuda. Podetia 3—5 pollicaria,  
1—2 lin. crassa subsimplicia cylindrica, interdum  
subventricosa glabra, cinereo- vel fusco-viridia,  
apice pulvere albido- vel pallido-viridi sorediisque  
pulverulentis concoloribus hinc inde adspersa,  
subuliformia, obtusa vel scyphifera. Scyphi, ex-  
trinsecus pulverulenti, saepissime incompleti angu-  
sti 2—5 lin. lati, margine crenato-dentati vel irre-  
gulariter protensi radiatique, radiis subulatis vel  
obtusis 2—6 lin. elevatis; membrana intergerina  
semper glabra. Sporocarpium adlustum unicum  
tantum vidi, sessile fuscum; cephalodia minuta  
obscure fusca vel nigra in dentibus marginalibus  
terminalia saepius adparent, una cum fungulis pa-

rasiticis convexo-planis, denique intumescentibus, fusco-atris, dentium latera occupantibus.

*N3*  
*vive  
Berolinus  
Kerbar*

**Observat. 1.** Num haecce species Lichen cornutus Linnei sit? valde dubitandum videtur, cum Linnei discipuli, Germanici saltem, e. g. Murrarius, Schreberus et alii, Cladoniae pyxidatae formam cornutam semper pro Lichene cornuto habuerint. In Weberi Spicilegio Flora Goetting. 1778. p. 214. Lichen cornutus verbis Halleri et Micheli ita describitur: „Lichen cornubus simplissimis, acutis, farinosis. Lichen ex albo subcinereus, proboscideus et corniculatus, minor, ut plurimum non ramosus.“ — Specimina etiam, quae Goettingae anno 1788 sub nomine Lichenis cornuti a Murrarii, Weberi et in primis Weissii discipulis accepi, Cladoniae pyxidatae podetia subulata erant.

**Obs. 2.** Cladoniam hanc coniocraeam olim (cf. Web. et Mohr. Beitr. II. p. 324.) cum Cladoniae gracilis varietate chordali male conjunxi; differt tamen ab ea podetiis constanter apice pulverulentis.

**Obs. 3.** Cladonia Rei Schaer. Lichenum Helvetic. spicileg. p. 34. ut mihi videtur, ad hanc fortassis speciem trahenda est. Clarissimus Auctor l. c. de hac sequentia exhibit: „Cladoniae gracili affinis nova est species, quam — ex Italia superiore misit cl. Re, Professor Taurinensis. Quoad habitum cum varietate chordali plurimum convenit: gracilis enim est, stipitibus simplicibus et ramosis, subulatis et scyphiferis; scyphi angustissimi, regulares, denticulati et proliferi; apothecia brunnea. Differt vero pulvere cinereo-vi-

rescente tenuiore et furfuraceo, qui totius plantae habitum leprosum reddit, quum priori speciei peculiare sit, superficiem habere glabram.“ — Specimina Silesiaca, itidemque Hercynica, quae tamen aetatis progressu parum corrupta videntur, etiam dimidia parte superiore pulverulenta sunt, ut cum Cladoniae pyxidatae formis longipedibus conjungenda esse augurarer, nisi habitus obstaret, Cladoniae coniocraeae conformis.

\**β. phyllotoca*, podetiis foliolis thalloideis vestitis.

Habitat iisdem indicatis locis cum priore.

*Observat.* Cladoniarum more et haecce species saepissime squamis phylloideis adspersa observatur, podetiis scyphisque qualibet formatis et comparatis insidentibus.

\*\**Sporocarpiis pallidis.*

(*Exclusis Cladoniae pyxidatae varietate carneopallida et Cladoniae cocciferae var. ochrocarpia.*)

22. CLADONIA straminea: thallo minuto disperso; podetiis gracilibus inaequabiliter compressiusculis pulverulentis e glauco vel albo flavidantibus, superne attenuatis subramosis passim scyphiferis; scyphis clausis regularibus, rarissime margine proliferis; sporocarpiis marginatis, incarnato-pallidis.

Cenomyce straminea. Sonnerfelt. Supplement. Flor. Lapponicae. p. 128.

Habitat ad saxa muscosa in montosis Nordlandiae Norvegiae. A Clar. Sommerfeltio in uno tantum loco Junkersdalen Saltdaliae lecta est.

— In cacumine Montium Sudett. fere summo (auf dem Koppenplane) oculatissimus indefesusque Lichenum indagator, Clar. de Flotow, detexit anno 1825.

**Descript.** Foliola thalli laciniata pagina superiore glabra e flavescente albo-viridia, subtus albissima, nitoris expertia. Podetia 1 —  $1\frac{1}{2}$  pollicaria gracilia subsimplicia vel fruticulosa pulvere pallide glauco demum flavicante obtecta; pulvere aetate subinde deterso glabra stramineaque esse solent, squamis thalloideis paucis adspersa, ceterum superne sensim attenuata subflexuosa inaequabiliter compressiuscula sublacunosave subramosa. Rami superiore podetiorum plerumque parte exorientes, apicem versus crebriores abbreviati interdum radiati. Scyphi infrequentes, regulares, clausi, (membrana intergerina imperforata,) rarissime margine proliferi. Sporocarpia in radiis scyphorum ramisque provenientia, disciformia sunt, margine proprio dilutiore cincta, nitida, constanter pallida, siue e fusco-carneo flavicantia, denique convexa.

**Observat.** 1. In speciminibus benevole a detectoribus mecum communicatis, et Lapponi-

cis et Sudetis, scyphos desidero, quamquam sporocarpiis aliquot instructa sunt, quos tamen Clar. Sommerfeltii auctoritate describere minime dubitavi.

**Obs. 2.** Podetia hujus speciei subulata, quae misit Clar. de Flotow, a formis Cladoniae cenoteae virgatis (var. rhabdina cet.) colore in flavum vergente, scyphisque, si adsunt, clausis, et axillis omnibus imperforatis, distinguuntur.

\*\*\**Sporocarpiis coccineis.*

A. *Podetiis glabris, subinde verrucosis vel granulato-subpulverulentis.*

\*23. **CLADONIA coccifera:** thalli foliolis inciso-lobatis crenatis; podetiis elongato-turbanatis glabris deinde verrucosis vel granulato-subpulverulentis, e flavo cinereo-viridibus, omnibus scyphiferis; scyphis cyathiformibus margine denticulato-crenatis; sporocarpiis sessilibus podicillatis coccineis.

*Cladonia coccifera.* Linn. Syst. Veget. ed. Spr. l. c. p. 274.

*Cenomyce coccifera* et var. *γ. pleurota.* Sommerfelt. Suppl. Flor. Lappon. p. 127.  
*Cenomyce extensa.* Flörk. Deut. Lich. II. p. 10.

*Cenom. coccif.* Achar. Syn. Lich. p. 269.  
*Capitularia extensa.* Flörk. in Magaz. d.

Gesellsch. naturf. Freunde in Berlin. 1808.

III. Quart. p. 222. (excluss. specimm. extensis cet.)

**Capitul. pleurota.** Flörk. ibid. p. 218. (part.)

**Cenom. pleurota.** Flörk. Deut. Lich. I. 12.  
(quoad specimina verruculosa vel granulo-pulverulenta.)

**Cladonia coccinea.** Hoffm. Deut. Flor.  
1795. p. 125.

**Lichen cocciferus.** Timm. Flor. Meg. Prodr.  
p. 149. no. 1028. (secund. spec.)

**Icon.** Vaill. Botan. Paris. t. XXI. f. 4. Lichen  
pyxidatus, acetabulorum oris coccineis et  
tumentibus.

Dill. Hist. musc. tab. XIV. f. 7. A—J.  
Coralloides scyphiforme, tuberculis coccineis.

**Exsicc.** Flörk. Deut. Lich. no. 35. Cen. ex-  
tensa. (Exclusis specimm. extensis prolificatis-  
que, ad variationes sequentes ducendis).

Ibid. no. 17. Cenom. pleurota. (sub eadem,  
modo data lege).

Fries. Lich. exsicc. Suec. no. 83. Ceno-  
myce cornucopioides.

Habitat ad terram praecipue in ericetis sabulosis  
et pinetis Germaniae totiusque Europae, Asiae  
et Americae borealis. Etiam ad Fretum Ma-  
gellanicum Americae austral. lecta fuit.

*Descript.* Thalli foliola rigidiuscula mediocris magnitudinis, inciso-lobata crenataque, pagina superiore e flavo cinereo-viridia subtus alba flavaque nuda. Podetia  $\frac{1}{2}$  —  $\frac{3}{4}$  pollicaria elongato-turbinata, primum glabra flavicantia vel e flavo cinereo-viridia, deinde verruculosa vel granulato-subpulverulenta, lateribus, praecipue superne, denique subcostatis. Scyphi regulares sive cyathiformes, 5 — 6 lin. lati, margine integro tenuissime cephalodiis coccineis, deinde sporocarpiis majoribus plerumque podicillatis coronato.

Podetia, sint sterilia aut fructigera, alba, viridia aut cinerea, glabra aut granulato-subpulverulenta, semper aliquid flavi monstrant, ut species cocciferae omnes, et facile a speciebus phaeocarpiis dignoscuntur.

*Observ. 1.* Cenomyce pleurota Flörk. et Achar, Syn. Lich. p. 270. partim ad hanc, partim ad Cladoniam crenulatam, infra sequentem, referenda est.

*Obs. 2.* Nomen specificum cocciferae restituendum mihi videbatur, cum Cenomyce pleurota ut species propria cessen, et botanici plerique hanc vulgatissimam cocciferarum speciem *cocciferam* vocaverint.

*Obs. 3.* Formae sub litt. b — e descriptae, ut explicationis modi, non ut varietates genuinae considerandae sunt. Character speciei, supra datus, omnibus communis est.

\*b. *extensa*: podetiis elongato-turbinatis scyphiferis, scyphis margine in podicillum solitarium validissimum, apice incrassatum, sporocarpiis maximis terminatum, extensis.

Cladonia coccifera  $\beta$ . *extensa*. Schaeer. Specil. p. 25. Exsicc. no. 51.

Cenomyce coccifera  $\alpha$ . *extensa*. Sommerf. Suppl. Flor. Lapp. p. 127.

Hab. locis indicatis cum praecedente.

*Descript.* Podetia cum radio elongato crasso longitudinem 1 — 2 unciarum attingunt, superficies primum glabra, postea verruculoso-scabrida, et obscurior colorata est. Scyphi obsoleti margine sublaceri adparent, radio uno alterove donati. Sporocarpia terminalia quandoque in capitulum semipollicare coadunata. Forma haec extensa cum praecedente, simpliciter scyphifera, per gradus adpropinquantes confluit, quod etiam de ceteris hujus speciei varietatibus valet.

\*c. *palmata*: podetiis elongatis scyphiferis, scyphis subdimidiatis, latere altero dilatato radiato, radiis subvalidis obscure scyphiferis plerumque sterilibus.

Habitat cum praecedentibus, in silva Dame-row prope pagum Barnsdorf in ditione Rostochiensi passim.

**Descript.** Scyphi ab initio regulares, denique inaequaliter latere altero extenduntur et formam palmatam praebent. Superficies, speciminum grandaeorum more, granulato-exasperata adparet, sublacunosa et costata.

\*d. *innovata*: podetiis elongato-turbanatis scyphiferis, scyphis margine semel, bis terve proliferis sterilibus vel fructiferis.

Dillen. Hist. musc. tab. XIV. fig. 7. K. L.

Hab. cum prioribus.

**Descript.** Maxima hujus speciei variatio, 2—3 uncias alta, denique scabrida, squamulosa, lacunosa costataque evadit, scyphis margine erosusublaceris. Podetia vetusta vel morticina fusco-nigra. Sporocarpia coadunata saepe maxima.

\*e. *centralis*: podetiis elongato-turbanatis scyphiferis, scyphis cyathiformibus margine tenuissime cephalodiis coccineis denticulatis aut verrucosis, e centro diaphragmatis seu membranae intergerinae solitarie vel aggregate proliferis, prolificationibus semel, bis terve innovatis, sterilibus rarius fructigeris.

Cenomyce coccifera β. asotea. Sommerf.

Supplement. Flor. Lappon. p. 127.

Cenom. extensae var. asotea. Flörk. Deut.

Lich. V. p. 15. no. 96.

Cenom. coccifera  $\beta.$  asotea. Achar. Syn.

Lich. p. 296. et b. cornucopiae. ibid.

Cenom. coccifera  $\gamma.$  asotea. Achar. Liche-  
nogr. univ. p. 557.

Capitularia asotea. Flörk. in Berl. Magaz.  
l.c. p. 223.

Dill. Hist. musc. tab. XIV. f. 7. M.

Exsicc. Flörk. Deut. Lich. no. 96.

Habitat cum prioribus.

**Observat.** 1. Olim pro distincta specie habui, et utique habitum peculiarem ostendit; accuratius verum observata a Cladonia coccifera separari non potest, cum semper consertione, immo eodem thallo cum ea crescat. Plurima specimina innovationes etiam proferunt tam e margine quam e diaphragmate scyphorum, eundemque utriusque formae characterem specificum demonstrant.

**Obs.** 2. Nomen *asoteae* mutavi, ob sensum verbi impeditum.

\* $\beta.$  *phyllocoma*: podetiis scyphisque variis, foliolis thalloideis lobatis vel laciniatis crenatis vestitis.

Habitat ad terram in silvis acerosis umbrosis cum praecedentibus.

**Observat.** Varietates jam descriptae omnes quandoque foliolis adspersae observantur, primo squamaeformibus, ut Dillenius ea in tabulae XIV. fig. 7. K. L. delineavit, tum 3—4 lin. latis lobatis vel ad basin usque laciniatis, laciniis lateribus crenatis. Specimina foliolis instructa saepissime grandaeva et

aetatis progressu corrupta sunt; tamen et in junioribus foliola haec thalloidea adparent, et tunc optimo jure varietatem proprie sic dictam constituunt.

\**y. ochrocarpia*: podetiis scyphisque variis, sporocarpiis aurantiacis vel carneo-pallidis.

Cenomyce Flörkiana. Sommerfelt. in Act.

Niderosiens. (secund. specim.)

Hab. ad terram in pinetis prope Rostochium, in silva Damerow et alibi.

*Observat.* Podetia et scyphi a reliquis non receidunt speciei varietatibus; character distinctivus unice consistit in sporocarpiorum colore descripto pallidiore, valde memorabili. Offenduntur sporocarpia dimidia parte coccinea, altera parte pallida; alia rubedine sensim per gradus decrescentes in colorem pallidum evanescente.

24 *CLADONIA bellidiflora*: foliolis thalli minutis incisis crenatis subtus nudis albis; podetiis elongatis cylindricis glabris foliaceo-squamulosis, e flavo cinereo-viridibus, deinde fusco-flavescentibus subulatis vel scyphiferis; scyphis angustis subregularibus margine fertilibus proliferisque; sporocarpiis confertissimis conglomeratis coccineis.

Cenomyce bellidiflora. Achar. Syn. p. 270.

Cenom. bellidifl. Flörk. Deut. Lich. VI. p. 11.

Cenom. cococephala  $\alpha$ . bellidifl. Achar.

Lichenogr. univ. p. 540.

Capitular. bellidifl. Flörk. in Berl. Magaz.

1808. III. p. 224.

Baeomyces bellidiflorus. Ach. Meth. Lich.

p. 335.

Cenom. sulphurina. Achar. Lich. univ.

p. 557. Synops. Lich. p. 265.

Lichen bellidiflorus. Achar. in Nov. Act.

Holm. Vol. XXII. 1801. p. 218. tab. IV. f. 1. a.

Habitat ad terram muscosam in montibus et  
subalpinis Sueciae, Norvegiae, Germaniae,  
Helvetiae et in Canada. Etiam e Groenlandia  
specimina nitidissima attulit Comes Raben,  
Danus.

*Descript.* Thallus quandoque subpulvinatus.  
Podetia primaria 1 — 2, prolificata 3 — 4 uncialia,  
et 1 — 3 lin. crassa, apice subulata vel attenuata,  
scyphis angustissimis margine tenuissime denticu-  
latis, terminata, vel perfecte scyphifera. Scypho-  
rum margo saepe cephalodiis minutis numerosissi-  
mis coccineis, deinde partim in sporocarpia majora  
coadunata abeuntibus, coronatus est. Granula  
speciei praecedentis subpulverulenta in hac desi-  
derantur; epidermis podetiorum glabra est, at  
subrimosa et saepissime squamis foliolisque thalloi-  
deis adspersa, hinc inde fere obruta.

*Observat. 1.* Specimina in montibus Hercyniae  
et in Alpibus Germaniae australis a me lecta,

minora sunt, quam Suecica et Norvegica,  
minime autem specie diversa.

**Obs. 2.** Cenomycen sulphurinam: „podetiis subclavatis apice deinde deformiter subdivisis, scyphis parvis; apotheciis marginum confluentibus atrofuscis.“ Achar. Syn. p. 265, et Lichenogr. univ. p. 557. Michaux Flor. Boreal. Americae II. p. 328. — cum Cladonia bellidiflora conjungere minime dubitavi propter habitum consimilem coloremque podetiorum incano-sulphurinum. Color sporocarpiorum coccineus, speciminibus per annos plures in museo adservatis vel madefactis, in atro-fuscum mutatur. Ceterum „podetia simplicia apice simplicissime parvulumque scyphata, deinde 2 — 3 uncialia sursum sensim crassiora ad summitatem deformiter et veluti laciniatim subramosa, scyphis fructificantibus parvulis margine confluenti-tuberculiferis. Interdum podetia e latere seu margine scyphi prolifera.“ Michaux l. c.

**b. ventricosa:** podetiis longis validis ventricosis sursum attenuatis; scyphis angustis margine sporocarpiis minutis subglobosis conglomeratis obtecto. Achar. Syn. Lich. p. 270. Nov. Act. Holm. Vol. XXII. 1801. p. 218. tab. IV. f. 1. b.c.

Hab. in montibus Sueciae, Silesiae (de Flotow), et in alpibus Helveticis atque Noricis.

**c. polycephala:** podetiis crassis cylindricis squamulosis apice scyphiferis, scyphis dilatatis subdivisis, deinde obsoletis, sporocarpiis conglomeratis magnis sessilibus vel podicillatis.

Cenomyce bellidifl. c. polycephala. Achar.

Syn. p. 271.

Cenom. cococephala β. vestita. Achar. Lichenogr. univ. p. 541.

Cladonia polycephala. Hoffm. Flor. Germ. 1795. p. 126.

Hab. cum praecedentibus locis indicatis.

**Obs.** Synonymum ex Hoffmannii Flora Germanica citatum, aliquanto dubium videtur et forsitan ad Cladoniam cariosam trahendum est, una cum Vaillantii (Botan. Paris.) tabulae XXI. figura 10. Dillenii quoque figura 15. B. tabulae XV. habitum non male repraesentaret, at sporocarpia fusca itidem monstrant Clad. cariosam.

d. *ampullifera*: podetiis elongatis cylindricis simplicibus ramosisque, scyphis cylindricis margine dentatis; sporocarpiis podicillatis subventricosis peltatisque supra impressis. Achar. Syn. Lich. p. 271.

Cenomyce cococephala γ. *ampullifera*. Ach. Lich. univ. p. 541.

Hab. ad terram cum prioribus in Suecia.

**Observat.** Sporocarpia impressa, immo perforata quandoque observantur in hac specie, ampulliformia ipse nondum vidi, quamquam in aliis speciebus, e. c. Cladonia squamosa inventi. Acharius in Lichenographia l. c. uberiorem descriptionem dedit.

e. *gracilenta*: podetiis elongatis gracilibus prolificazione ramosis, scyphis dilatatis margine dentato-radiatis subinde foliaceo-crispis substerilibus. Achar. Syn. Lich. p. 271.

Habitat cum prioribus in Suecia. In Germaniae montosis hujus formae specimina completa vidiisse vix recordor.

*Descript.* Podetia graciliora et breviora, plerumque scabrida. Scyphi primarii ampli in margine foliaceo-crispi longe radiati, radii erecti filiformes scabridi scyphis dilatatis terminati. Scyphulorum margines vel integerrimi fimbria coccinea coronati, vel obsolete dentati, denticulis singulis apotheciis minutis terminatis. Achar. Lichenogr. univ. p. 542.

*Observat.* Ad speciem bellidifloram accedere videtur *Cenomyce firma* Laurer (in litt.) e Nova Hollandia advecta, podetiis parvis ( $\frac{1}{2}$  uncialibus) prolificazione ramosis glabris flavo-fuscis, foliolis linearibus subcrenatis crassiusculis undique concoloribus instructis. Scyphis obsoletis laceris, cephalodiis minutis coecineis. — Specimen parvulum incompletum tantum vidi, ideoque de dijudicatione incertus sum, quamquam distinctam speciem esse facile credo.

\*25. *CLADONIA Flörkiana*: thalli foliolis inciso-lobatis crenatis, podetiis elongatis gracilibus ramosis glabris, subinde granulato-squamulosis

albidis, basi cinereo-flavanticibus, ramis subscyphuliferis vel truncatis; sporocarpiis numerosis subpodicillatis conglomeratisque coccineis.

Cenomyce Flörkiana. Fries. Lich. Suec.  
exsicc. no. 82.

Cladonia filiformis. lit. H. Schaer. Spic.  
Lich. Helvet. p. 20. Exsicc. no. 58. et  
no. 56. (partim, quoad specimina glabra  
nec pulverulenta.)

Cenomyce clonoides. Flörk. in litt.

Habitat ad terram in pinetis Germaniae, Helvetiae, Galliae, Sueciae. In silvis Damerow et Rostocker Heide in vicinitate Rostochiensi, et alibi in Magno Ducatu Mecklenb. passim.

*Descript.* Foliola thalli mediocri magnitudine inciso-lobata, lobis margine crenatis glabris albido-viridibus subtus albissimis. Podetia semipollicaria, pollicaria, quandoque parum majora, vix lineam crassa, superne, rarius a basi, ramosa, saepe ramosissima, hinc sursum incrassata, ramis fastigiatis, scyphuli minuti faciem praebentibus. Apices ramulorum cephalodiis sive sporocarpiis minutis coccineis praediti sunt, deinde in sporocarpia completa subglobosa, subpodicillata vel conglomerata abeuntibus. Superficies podetiorum glabra interdum subsquamosa, plerumque albida vel cinereo-fusca, denique granulato-verrucosa.

1.  
2.  
3.  
4.

*Observat.* 1. Specimina hujus specie cum Cladoniae polydactylae varietate macilenta non-nunquam commixta vidi, quibuscum, aetatis progressu, similitudinem aliquam adipiscuntur. Ab initio podetia glabra sunt, Cladoniae — macilentae pulverulenta; at aetate utraque granulato-verrucosa et cinerea vel cinereofusca evadunt.

*Obs.* 2. Haecce species forma minutula Cladoniae bellidiflorae esse nequit, ob colorem podetiorum albidum nec omnino in flavum vergentem, et quia Cladoniae bellidiflorae in nostris regionibus ne vestigium ullum inveniatur.

\**β. leucophylla*: thalli foliolis laciniatis crenatis subtus saepe aurantiacis; podetiis gracilibus ramosis laevibus deinde exasperatis albidis, foliolis thalloideis subinvolutis subtus albissimis adspersis; sporocarpiis ad podetiorum ramorumque apices subtruncatos aggregatis coadunatisque coccineis.

Dillen. Histor. muscor. tab. XV. f. 19. C.

Habitat ad terram muscosam in pinetis Germaniae. In silva Rostocker Heide passim.

*Descript.* Thalli foliola mediocris magnitudinis laciniata, crenata, ex albido viridia, subtus albissima, saepe aurantiaca. Podetia subpollicaria gracilia ramosa laevia albida, basi interdum sublutescente; subinde exasperata et foliolis, thallo conformibus, erectis subinvolutis, pagina inferiore albissimis sparsim vel dense obtecta, ut leucophyl-

Iam praebeant faciem. Apices podetiorum ramorumque subtruncati saepe sporocarpiis subpodicillatis vel sessilibus, ideoque confluentibus, coccineis coronati sunt.

**Observat.** Figura citata Dillenii, olim ad Cladoniae polydactylae varietatem macilenter tam a me ducta, huic varietati leucophyllae optime respondet, excepto thallo, ut in omnibus, a Dillenio delineatis, Cladoniarum figuris, arbitrario efficto.

B. *Podetiis ab initio, in primis superne, pulverulentis.*

\*26. **CLADONIA digitata:** thalli foliolis expansis rotundato-lobatis crenatis; podetiis cylindricis basi glabris flavo-viridibus, superne albo-pulverulentis scyphiferis; scyphis angustatis margine subincurvis deinde varie ampliatis semel bis proliferis, proliferationibus perquam deformibus; sporocarpiis podicillis validis elevatis solitariis coadunatisve, saepe maximis coccineis.

Cladonia digitata. Linn. Syst. veget. ed.

Spr. l. c. p. 274.

Cenomyce digitata. Flörk. Deut. Lich.

IX. p. 12.

Cen. digit. Achar. Syn. Lich. p. 267. (exclus. synonn. e Lichenogr. univ. et Methodo Lich. allegatis.)

Capitul. digit. Flörk. in Berl. Magaz. 1808.

III. p. 261.

Clad. digit. Hoffm. Deut. Flor. Germ. p. 124.

Icon. Dill. Hist. musc. tab. XV. f. 19. A. B.  
(specimina incompleta sterilia).

Exsicc. Flörk. Deut. Lich. no. 176. A. B et C.  
Habitat ad truncos putridos in silvis Germaniae  
totiusque forsitan Europae.

*Descript.* Thalli foliola 1 — 6 lin. lata rotundato-lobata subincisa, margine crenata, supra glabra e flavo cinereo-viridia, subtus albissima intermixta flavedine et subpulverulenta. Podetia primaria cylindrica vel elongato-turbanata pollicaria et majora, 1 — 2 lin. crassa, basi glabra, in longitudinem rugulosa, e flavo vel albo cinereo-viridia, superne pulvere tenuissimo albo-subvirescente adspersa, fere omnia scyphifera. Scyphi angusti, subregulares, margine subincurvo crenato-denticulato, sporocarpiis minutis coronato; deinde diverse ad semuncialem dimensionem ampliati, lobati et in radios marginales validos, podetiis primariis similes et scyphiferos protensi. Scyphorum cavitas sive membrana intergerina semper glabra. Sporocarpia plerumque podicillata interdum scyphum subangustum penitus obtegentia et coadunata.

*Observat.* 1. Scyphorum forma explicationesque magnopere ludunt et saepissime perquam

obnormem praebent faciem. Hinc variaciones, ab Achario descriptae, a) *brachytes*, b) *denticulata*, d) *cephalotes* et e) *monstrosa*, formae tantum videntur singulae, nominibus propriis distingui vix merentes, quamquam a) *brachytes* podetia juvenilia parva, b) *denticulata*, podetia scyphifera, scyphis margine dentatis, d) *cephalotes*, podetia scyphifera fructifera, et e) *monstrosa* podetia incompleta deformia atque sterilia indicare possent, dum modo specimina conformia saepius offenderentur.

*Obs. 2.* Nomen „digitatae“, a Dillenii citatis figuris desumptum, unam tantum formam ex innumerabilibus significat, et minus aptum. Nomen interea hocce, jam a Linnaeo receptum, lichenologis in promtu est, ideoque servandum videtur.

\*b. *cerucha*: podetiis elongatis ventricosis apice attenuatis vel obscure scyphiferis sterilibus.

*Cenomyce digitata c. cerucha.* Achar. Syn.  
Lich. p. 268.

Habitat cum priore.

*Descript.* Thallus speciei. Podetia 1 — 2 pollicaria, 2 — 4 lin. crassa, sursum attenuata, interdum scypho minuto terminata, ceterum glabra rugulosa e cinereo flavo-viridia, hinc inde sorediis pulverulentis albis adspersa, apice itidemque pulverulenta. Scyphi in nonnullis terminales perangusti, margine denticulati et steriles.

\*27. **CLADONIA crenulata:** thalli foliolis incisis  
crenatis subtus nudis; podetiis longis cylindricis,  
basi glabris, superne crassioribus tenuissime  
pulverulentis sulphureis scyphiferis; scyphis  
subangustis regularibus crenato-dentatis deinde  
dilatatis lacero-lobatis; sporocarpiis sessilibus  
podicillatisque nonnunquam maximis coccineis.

Cladonia deformis. Linn. Syst. veg. ed.

Spr. l. c.

Capitularia crenulata. Flörk. in Berl. Mag.

1808. III. p. 219.

Cenomyce deformis, cum varr. a. crenulata  
et b. gonecha. Achar. Syn. Lich. p. 268.

Cen. deform. Achar. Lichenogr. univ. p. 558.  
(excluss. variett.  $\gamma$ . digitata et  $\delta$ . coronata).

Baeomyces deform. Achar. Meth. Lich. p. 334.  
(exclus. Dillenii figura citata 18. B.)

Cladon. deform. Hoffm. Flor. Germ. p. 120.

**Icon.** Dill. Hist. musc. tab. XV. f. 18. A. (nec B.)

Linn. Flor. Lappon. tab. XI. f. 5.

Habitat ad terram in silvis praecipue acerosis et  
in montibus Germaniae, Helvetiae, Scandinaviae. E Groenlandia attulit Comes Raben. Circa Rostochium passim.

**Descript.** Thalli foliola rotundato-expansa  
1—6 lin. lata inciso-lobata crenata supra pallide  
viridia subtus albissima nuda. Germanicorum

speciminum podetia 2—3-, Groenlandicorum 4—5- uncialia simplicissima, inferne 1—3 lin. crassa et glabra, e sulphureo cinereo-viridia et dilutiora, superne validiora incrassata pulverulenta sulphurea. Scyphi saepissime angusti et podetii crassitiem vix superant, multi ad dimensionem 2—4, interdum 6 linearum amplificantur et tunc margine regulariter crenulato, sporocarpiis minutis coccineis coronato adparent; deinde margo in lobos irregulares, hinc inde sporocarpiis maximis coadunatis obtectos, protenditur. Scyphorum dia phragma seu membrana intergerina semper pulv rulentum est. Podetia quandoque subventricosa, in longitudinem quoque fissa observantur, praecipue in speciminibus in montibus lectis. Prolifica tiones nunquam vidi.

*Specim. Wallr.*  
*Observat.* Dillenii tabulae XV. figura 18. B, a Linnaeo aliisque ad hanc speciem ducta, Cladoniae gracilis varietatis hybridae vel validae specimen protritum et mutilum tantum repraesentat, ideoque prorsus rejicienda est, aequo ac nomen „deformis“, ab ea derivatum; nam Cladonia crenulata omnium regularissima haberi meretur species.

b. *pulvinata*: thallo e lobis minutis rotundatis imbricatis pulvinato; podetiis subuliformi-elongatis cylindricis curvato-flexilibus lacero-fassis pallido-cinerascentibus substerilibus, scyphis juniorum margine integerrimis. A char. Syn. Lich. p. 269.

*Cenomyce pulvinata.* Ach. Lichenogr. univ.

p. 544.

Habitat ad terram cum priore, praecipue in montibus, Sueciae, Hercyniae frequentissima.

*Observat.* Caespites efformat subpulvinatos, e foliorum acervulis podetiiisque subuliformibus obscure scyphiferis denique fissis et decoloratis compositos. Specimina, quae vidi, omnia, Suecica ac Germanica, tantum aetatis progressu corrupta, et in faciem descriptam abnormem redacta erant, excepta podetiorum subulatorum copia, huic formae propria.

$\beta.$  *pleurota*: podetiis turbinatis pulverulentis ex albido viridi-sulphureis omnibus scyphiferis; scyphis dilatatis subcostatis margine subintegerimis vel eroso-crenulatis; sporocarpiis rarioribus solitariis subpodicillatis coccineis.

*Cenomyce pleurota.* Achar. Syn. Lich. p. 270.

(cf. observationem sequentem secundam.)

*Capitularia pleurota.* Flörk. in Berl. Mag. 1808. III. p. 218. (partim).

Habitat ad terram turfosam in ericetis prope Berolinum et Rostochium.

*Descript.* Thallus ut in varietate  $\alpha.$  formatus est. Podetia subpollicaria turbinata, basi glabra inde tota et semper tenuissime pulverulenta colore sulphureo in albo-viridem vergente. Scyphi usque ad semunciam dilatati subregulares, lateribus hinc inde lacunoso-costatis, intus pulverulenti,

margine subintegerrimi deinde eroso-crenulati et dentati. Sporocarpia pauca solitaria subpodicillata.

*Observat.* 1. Cenomyce pleurota Flörk. Deut. Lichen. no. 17. maximam partem ad Cladoniam cocciferam spectat, cuius juniora specimina cum nunc descripta *pleurota* similitudinem multam habent, et cum ea mixta sunt. Accuratus adspecta tamen distingui possunt pulvere granuloso-verrucoso, et non semper tenuissimo, nec non sporocarpiorum copia. Ceterum haecce descripta varietas pleurota per variationes longipedes in crenulatam abit, quacum et eodem thallo crescit, ideoque conjugendas esse minime dubitavi.

*Obs.* 2. Capitularia pleurota, in Berl. Magaz. l. c. a me descripta, utrasque itidem comprehendit formas, nunc nominatas, et synonymum purum dici nequit, quod, ut videtur, etiam valet de Cenomycide pleurota Achar. Syn. Lich. l. c.

*Obs.* 3. Cladoniam incanam Hoffmannii et Sprengelii (Syst. veget. l. c. p. 274.) olim Cladoniae pleurotae adscriptam, nunc melius fortassis cum Cladonia pyxidata conjunxi, propter colorem, scyphorumque marginem proliferum. Dillenii tabulae XIV. figura 6. B. marginem vero ostendit integrum.

\*28. *polydactyla*: thalli foliolis laciniatis, laciniis inciso-lobatis; podetiis elongatis gracilibus pulverulentis flavescenti-albis subulatis vel scyphiferis; scyphis angustis subregularibus subperforatis radiatis, radiis tenuibus numerosissimis ramosis et proliferis; sporocarpiis coccineis.

Cla-

**Cladonia polydactyla.** Linn. Syst. veget. ed.

Spr. l. c. (secundum quoque auditorum)

**Cenomyce polydactyla.** Flörk. Deut. Lich.

X. p. 15. (secundum exemplaria, a Cel.

**Cladonia ventricosa.** Hoffm. Flor. Germ.

1795. p. 126. (secundum exemplaria, a Cel.

**Persoonio benevole mecum communicata.)**

**Icon.** Dillen. Histor. musc. p. 94. tab. XV.

f. 17. A. B. et C. **Coralloides cornucopioides incanum scyphis cristatis.**

**Ersicc.** Flörk. Deut. Lich. no. 195. A. B. et C.

Habitat ad truncos arborum putridos muscosos  
in silvis, praecipue acerosis, Germaniae,  
Helvetiae, Sueciae et forsitan totius Europae.

In silva Rostocker Heide haud rara, praecipue  
juxta Meyer's Hofstelle.

**Descript.** Podetia 1—2 pollicaria, parte inferiore glabriuscula flavescenti-fusca, superne tenuissime pulverulenta flavescenti-alba, scyphifera. Scyphi margine dentibus numerosis minutis coronati, mox radiati, radii lineares vel semipollicares iterum scyphiferi sive proliferi, et denuo radiati, scypho primario interea cum podetiorum parte superiore quandoque valde ampliatis, ut ventricosam paene faciem praebeant. Hocce statu scyphorum diaphragma saepe poro uno alterove

divulsum observatur, ceterum semper subpulv-  
rulentum. Sporocarpia, scyphorum dentibus in-  
sidentia, elegantissime coccinea plerumque tamen  
minuta sunt, in exemplaribus morticinis et saepius  
madefactis fusco-atra.

**Observat.** Exemplaria majora completa, Dil-  
lenii figurae 17. C. respondentia, in primis  
fructificantia, rarius inveniuntur, et pauca  
tantum vidi; minora, figurae A congruentia  
et sterilia, in nostris regionibus minime rara  
sunt. Saepissime tamen specimina, prolifi-  
catione incompleta depravata offenduntur,  
scyphis obsoletis, radio uno altero porrecto  
et fertili, ut transitus in varietatem sequente in  
adpareat.

\**β. macilenta*: thalli foliolis incisis interdum mi-  
nutis et subgraniformibus; podetiis cylindricis  
simplicibus apice subdivisis, cinereo- vel glauco-  
albis basi flavidantibus tenuissime vel granuloso-  
pulverulentis; sporocarpiis terminalibus sub-  
confluentibus coccineis.

Cenomyce polydactyla *β. macilenta*. Som-  
merf. Suppl. Flor. Lappon. p. 127.

Cladonia filiformis, stipitibus cylindricis gra-  
cilibus, incano- vel viridi-pulverulentis,  
apice subdivisis, scyphis angustis vel nullis.  
Schaerer. Lichen. Helvet. Spicileg.  
(Bern. 1825. 4.) p. 19.

I *Baeomyces macilentus.* Wahlenb. Flor.  
non in Lappo. p. 452. — *Cenomyce bacillaris.* Ach. Syn. Lich. p.  
266. no. 18. in (cum formis *b. styracella,*  
*b. carcata, c. monocarpa*). — *Cenomyce acicularis.* Ach. Id. c. p. 275. no.  
35. (exemplaria sporocarpiis in museo de-  
nique fuscatis). — *Capitularia macilenta.* Flörk. in Berl. Mag.  
civit. ann. 1808. III. p. 214. — *Cladonia macilenta.* Hoffm. Flor. Germ.  
p. 126. no. 53. — *Exsicc.* Michel. Gen. tab. XXXXII. f. 1 — 2.  
*Exsicc.* Schaeerer. l. c. et exsicc. no. 34. 55.  
56. (exclus. exemplaribus intermixtis gla-  
bris, ad Cladoniam Flörkianam pertinen-  
tibus) et 37.

Fries. Lichen. exsicc. Suec. ed. nov. no. 52.  
(exclus. exempl. glabris).

Schrad. Samml. krypt. Gewächs. no. 194. 3  
(Lichen macilentus.)

Funck. krypt. Gewächse d. Fichtelg. XXIII.  
no. 477. (Cen. bacillaris γ. macilenta).  
Habitat ad truncos arborum putridos et ad ter-  
ram turfosam in silvis et ericetis Germaniae,  
Helvetiae cet. Prope Rostochium vulgaris.  
Descript. Thalli foliola plerumque minuta in-

cisa, saepe fere squamoso-pulverulenta alba. Podetia semuncialia—sescuncialia, gracilia, basi non-nunquam nudiuscula flavo-fusca, ceterum tenuissime pulverulenta alba, denique furfure granuloso vestita, simplicia cylindrica vel apice subdivisa ramosaque vel obscure scyphifera. Scyphi, si adsunt, irregulares, dentibus nonnullis in radios longiores protensis. Sporocarpia, podetiorum ramulorumque apices terminantia, subglobosa, deinde subconfluentia coccinea, denique, in herbario vivo longius adservata et madefacta, nigrescunt.

*Observat.* Inter hanc varietatem et praecedentem, sub lit.  $\alpha$ . laudatam, magna observatur variationum turba, e quibus earum affinitas elucere videtur. Podetia minora, majora sunt, simplicia cylindrica, vel superne incrassata ramosa subscyphifera, scyphulorum margo denticulatus, radiis nonnullis procerioribus iterumque scyphiferis. Specimina ad trunco arborum putridos muscosos provenientia basi magis flavescent; ad terram turfosam, ad trabes asseresque vetustos habitantia albidiora sunt, et pulvis superficialis densior, deinde granulato-squamulosus et cinerascens evadit. Forsan specie diversa.

\*b. *clavata*: podetiis simplicibus subcurvatis clavato-ventricosis subulatis vel obtusis e pallido vel viridi albidis pulverulentis substerilibus.

*Cladonia filiformis.* Schaefer. l. c. A. stipitibus subulatis, adultioribus ventricosis.

Cenomyces bacillaris var. clavata. Achar.

Syn. Lich. p. 267.

Cenom. cornutae var.  $\beta$ . lumbricalis. Achar.

Lichenogr. univ. p. 546.

Baeomyces deformis  $\beta$ . clavatus. Achar.

Method. Lich. p. 554.

Cladonia cornuta. Hoffm. Flor. Germ. p.

119. (partim, quatenus sporocarpia coccinea, nec fusca, sunt).

Icon. Hoffm. Plant. lichen. tab. XXV. f. 1.

Dillen. Histor. musc. tab. XV. f. 14. B.

Exsicc. Schaeer. Lichen. Helvet. exsicc.

no. 53. quo duplo ex parte crenulata est de-

Hab. cum priore locis indicatis.

**Descript.** Thalli foliola majora et minora sunt, incisa rotundato-lobata crenata, vel sub-squamiformia immo subgranulata. Podetia gracilia vel validiora, uncialia et sescuncialia, saepe subventricosa sterilia, interdum cephalodiis minutissimis coccineis instructa. Forma haecce clavata quasi lichenem cornutum speciei exhibit.

**Observat.** 1. Pulvis, quo hujus et praecedentis formae podetia vestita sunt, variat tenuitate, densitate et colore albidiore vel pallido-glauco. Exemplaria pube pulverulenta dense molliter vestita varietatem tomentosulam olim dixi. (Cf. Berl. Magaz. 1808. III. p. 214.)

*Obs.* 2. Exemplaria in cortice sicco ad pinuum radices et asseres vetustos habitantia decrepita, curvata et apice incrassata obtusaque esse solent, vix cephalodio uno altero ve praedita.

\**y. corymbiformis*: podetiis gracilibus ramosis, tenuissime pulverulentis e glauco albis; ramis subfastigiatis apice incrassatis fructiferis; sporocarpiis sessilibus coadunatis coccineis.

Habitat ad terram turfosam in silva Rostocker Heide passim.

*Descript.* Thallus minutus mox evanidus. Podetia caespitosa pollicaria  $\frac{1}{3}$  lin. crassa, saepe ab ima basi ramosa, plerumque superiore tantum parte ramos ramulosque emitunt subfastigiatos, apice parum incrassatos et fructiferos. Sporocarpia in speciminibus meis parya sessilia, nonnulla majora connata, coccinea. Podetiorum superficies tenuissime pulverulenta, e glauco alba, quandoque tantum basi sublutescente. De scyphis nullum vestigium adest.

*Observat.* Hujus varietatis specimen vetusculum esse videtur: Cenomyce *acicularis*, podetiis striatis teretibus rugoso-verruculosis albis subsimplicibus; apotheciis capitatis subglobosis subsolitariis nitidis fusco-atris. Achar. Syn. Lich. p. 275. Lichenogr. univ. p. 567. Baeomyces acicularis. Method. Lich. p. 528. tab. VIII. fig. 4. — Hanc in America Septentr. a Menziesio detectam plantulam

Acharius in Lichenographia sua universalis l. c. ita descriptis: „Thallus foliaceus in specimini bus visis nullus adfuit. Podetia albo-cinerascentia erecta aggregata vix pollicaria simplicia vel uno altero ve ramo ad apicem instructa, dura nec fragilia cylindrica fistulosa, granulis minutis adspersa unde superficies scabrida. Rami erecti fastigiati ut plurimum simplices. Apothecia capitata subglobosa simplicia atra.“ —

Exemplar, quod videre mihi licuit, promera tantum Cladoniae polydactylae varietatis macilenta vel corymbiformis variatione, aetate corrupta, habere potui; nam sporo-carpia coccinea, praesertim madefacta, denique nigrescunt, et podetiorum pulvis superficialis, alioquin subtilissimus, in granula verrucaeformia abire solet. Ad Cladonias fruticulosas, quibuscum Acharius hanc Cenom. acicularem suam conjunxit, nullo modo referendam esse, prorsus persuasus sum.

### SECTIO TERTIA.

#### *Cladoniae subscyphiferae.*

(Scyphophorae. Achar. species.)

Thallo foliaceo, podetiis ramosis subulatis vel scyphiferis, scyphorum diaphragmate ut plurimum poris nonnullis perforato vel subdivulso.

29. CLADONIA *turgida*: thalli foliolis majusculis laciniatis, podetiis laevigatis albo-viridibus ramosis elongato-turbinatis subulatis vel subscy-

phiferis; scyphis irregularibus ut plurimum poris nonnullis perforatis vel subdivulsi, margine dentato-radiatis et proliferis, proliferationibus ramosis turgescientibus; sporocarpiis fuscis.

*Cladonia parecha.* Linn. System. Veg. I. c.  
P. 272.

*Cladonia stellata* δ. *turgida.* Schaer. Lich.  
Helvet. Spicil. p. 43.

*Cenomyce parecha.* Sommerf. Suppl.  
Florae Lappen. p. 132.

*Cenom.* *parecha.* Achar. Synops. Lich. p.  
272. Lichenogr. univ. p. 532.

*Cenom.* *Candelabrum.* Ibid. p. 533.  
*Lichen Candelabrum.* Bory de St. Vincent  
Voy. III. p. 103. tab. XVI. f. 2.  
(secund. spec. miss.)

*Baeomyces parechus.* Achar. Method. Lich.  
p. 350.

*Cladonia turgida.* Hoffm. Flor. Germ.  
1795. p. 124.

*Icon.* Achar. in Nov. Act. Acad. Sc. Holm.  
XXII. p. 340. tab. IV. f. 3.

Flor. Dan. VIII. tab. 1556. f. 2.

*Exsicc.* Schaer. Lich. Helvet. exsicc. Fasc.  
IV. no. 84.

Ehrh. Plant. cryptog. Dec. XXX. no. 297.  
*Lichen turgidus.*

Habitat ad terram locis apricis sterilibus et silvaticis montosis Europae et Americae borealis, et in Insula Borbonia. In Germaniae regionibus bis tantum vidi, circa pergulam **Trippstein** prope Schwarzburg in Thuringia anno 1797, et in silvula **Hasenheide** dicta prope Berolinum anno 1806. Post annum modo indicatum ibi semper frustra quaesivi. E Montibus Sudett. misit Clar. de Flotow.

**Descript.** Thalli foliola membranacea semi-pollicaria immo pollicaria erectiuscula et laciniata sunt, laciniis crenatis. Facies superior eorum albo-virescens, inferior albissima nudaque. Podetia unciale, per innovationes sive proliferationes iteratas, ex scyphorum margine orientes, trium pollicum attingunt altitudinem, inde varie ramosa, axillis saepissime poris nonnullis perforatis divulsive, inaequabilia turgidaque evadunt, ceterum laevigata sunt, albo- et pallide virescentia, apibus omnibus fuscis. Podetiorum quoque latera hinc et inde terebrata observantur. Scyphi ut plurimum obscuri, saepe tantum ex dentium terminalium subfastigiorum aggregatione formati vindentur, diaphragmate planiusculo et poris nonnullis perforato instructi, quandoque foramine ampliore hiantes. Dentes eorum subtruncati in novas excrescent proliferationes subventricosas turgidasque

et iterum scyphiferas; alii abbreviati fertiles et sporocarpiis minoribus carneo-fuscis coronati.

Species haecce caespites etiam efformat densos steriles, podetiis ramosissimis subimplexis, ramis omnibus subulatis; a Cladoniae stellatae varietate adunca, cui perquam similes, distinguendos 1) colore albo-virescente, nec albo-pallido, 2) thallo insigni persistente, nec minuto mox evanido.

*Observat.* Nomen *turgidae*, ab Ehrhardto speciei olim impositum, restituendum esse credidi, quod Acharius sine ratione permutavit.

b. *corniculata*: podetiis elongatis subulatis subramosis, scyphis sporocarpiisque nullis.

Cenomyce parecha b. corniculata. Sommerf.

Supplement. Flor. Lappon. p. 122.

*Exsicc.* Ejusd. Plantar. cryptogam. Norvegicarum (Christianiae 1826. fol.) Cent. I. no. 73. Cenomyce parecha b. corniculata.

Hab. cum priore.

*Descript.* Podetia 2—3—uncialia omnia subulata subramosa nec scyphifera, superficie laevigata et colore speciei. Tantum ut forma sterilis cornuta consideranda est, nec ut varietas proprie sic dicta.

*Observat.* Cenomyce parecha  $\beta$ . cetrariooides Achar. Lichenograph. univ. p. 552 simpliuscula sequentis speciei forma est.

50. CLADONIA *amaurocraea*: thalli foliolis minutis mox evanidis; podetiis elongatis grācilibus curvato-decumbentibus glabris stramineo-albis, extremitatibus fusco-nigris, plurimis subulatis ramosis ramosissimisve, aliis scyphiferis; scyphis angustis obliquis, margine dentato-radiatis proliferisque, diaphragmate poris nonnullis perforato; sporocarpiis fuscis.

*Cladonia amaurocraea*. Schaeer. Lichen.

Helvet. Spicil. p. 34.

Cenomyce oxyceras, et b. cladonioides.

Achar. Syn. Lich. p. 264.

Cenom. oxycera. Ejd. Lichenogr. univ. p. 557.

Baeomyces amaurocraeus. Wahlenb. Flor.

Lappon. p. 455.

Capitularia amaurocraea. Flörk. in Web.

et Mohr. Beitr. II. p. 334.

Exsicc. Schaeer. Lichen. Helvet. exsicc. Fasc.

III, no. 70.

Funck. kryptogam. Gewächse besond. d.

Fichtelgeb. XXV. no. 520. Cenom. amau-

rocræa.

Habitat ad terram in montibus editioribus Ger-

maniae, Sueciae cet. In Alpibb. Salisbb.

anno 1798 primus detexi; in Monte Pinif.

Funck.; in Alpibb. Helvett. Schaeerer;

in Montt. Sudett. de Flotow; in regionibus

Norvegiae arcticis legit Sommerfelt; e  
Groenlandia retulit Comes Dan. Raben.

**Descript.** Thalli foliola, in exemplarium primo  
ortu, ut credere licet, praesentia, nullus adhuc  
vidit; squamulae perpaucæ minutissimæ concolo-  
res, suborbiculares, parum crenatae, podetiorum  
basi quandoque adhaerentes, tantum ut thalli vesti-  
gia considerandæ sunt. Podetia 1 — 2 pollicaria,  
per prolificiones bis ter iteratas tripollicaria et  
majora, gracilia, vix lineam crassa, laevigata, pal-  
lide immo albo-straminea, extremitatibus nigro-  
fuscis. Podetia quidem ut plurimum cylindrica  
sunt, tamen flexuosa saepe et sublacunosa ventri-  
cose ampliata et ramosa, praesertim e scyphorum  
subevanescientium margine adscendente. Scyphi  
plerumque per angusti primum copia dentium gra-  
cilium subfastigiatorum margine obsiti, quorum  
nonnulli in prolificiones evoluuntur bis ter itera-  
tas; alii dilaceratam praebent faciem, ramulis den-  
tibusque numerosissimis undique tectam, in varie-  
tatem *myriocraeam* abeuntem. Membranula  
scyphorum intergerina planiuscula saepius poris  
foraminibusve aliquot perforata, denique prolifica-  
tionis vi in axillam subhiantem extenditur. Spo-  
rocarpia fusca in scyphorum margine progermi-  
nantia quandoque confluunt et omnem scyphum  
obtegunt. Haec variatio est: Cenomyce oxyceras

*c. cetrariooides*, podetiis elongatis ramosis nudis albis, fertilibus, superne incrassatis clavatis obtusis, apotheciis magnis rufo-fuscis terminatis. Achar. Syn. Lich. p. 264. Cenom. parecha  $\beta.$  *cetrariooides*. Lichenogr. univ. p. 532.

*Observat.* 1. *Cladonia haecce amaurocraea* medium inter *Cladoniam gracilem* et *stellatam* (Cenomycen uncialem Achar.) tenet locum, ab utraque tamen satis distincta. Differt a *Cladonia gracili*: 1) colore albo-stramineo tantum extremitatibus fusco-nigris; 2) podetiis omnibus laevibus, nec unquam squamis phylloideis undique adspersis, exceptis paucissimis, parti podetiorum inferiori interdum adhaerentibus; 3) *Scyphorum* membrana intergerina saepissime poris foraminibusque percussa, axillisque proliferationum plerumque divulso-perviis; 4) podetiorum gracilitate flexibilitateque et copia denticulorum exilium ad *scyphorum* prolificatorum margines cristae saepe instar progerminantium. A *Cladonia stellata*, quacum in multis convenit, differt praecipue podetiis scyphiferis, scyphis veris, diaphragmate, etsi poris certe perforato, clausis, quorum loco *Cladoniae stellatae* podetia principalia crassiora orbiculatim pervia hiantiaque sunt.

*Obs. 2.* Varietatem b. *cladonioidem* (podiis erectis gracilibus stramineo-albidis subdichotomo-ramosis glabris inermibus spinulosisque, scyphis angustis margine nigro-radialis et proliferis. Achar. Syn. Lich. p. 264. Dillen. Histor. musc. tab. XIV. f. 15. E. Baeomyc. gracilem y. *cladonioidem* Achar.

Method. Lich. p. 345. Capitulariam amaurocraeam  $\beta$ . cladonioid. Flörk. in Web. et Mohr. Beitr. II. p. 335.) — ad primariam formam ( $\alpha$ ) redigendam esse censeo, cum ab ea paululum tantum differat podetiis parum ramosis gracilibus aequabilioribusque. Scyphi ejus angusti gracillime denticulati a primaria forma non abhorrent.

**Obs. 3.** Nomen *amaurocraeae*, speciei a me impositum, ut primum retinui. Acharius in *Lichenographia universalis* *oxyceram* eam quidem vocavit, descriptionem autem tam ineptam dedit, ut species haec aegre a *Cladonia stellata* dignosceretur, his verbis: „Cenomyce oxycera ad Cenomycem uncialem (stell.) prope accedit, sed ramulis ultimis erectis subulatis longioribus et apicibus horum nigris diversa est. Si thallus et scyphi innotescerent, validiores forsitan reperientur characteres distinctivi.“

**b. dicraea:** podetiis longiusculis erectis strictis superne ramosis, ramis brevibus fastigiatis furcatis, apicibus acutis nigricantibus sterilibus.

Cenomyce oxycera d. dicraea. Achar. Syn. Lich. p. 265.

Cenomyce uncialis  $\beta$ . dicraea. Lichenogr. univ. p. 559.

Baeomyces uncialis  $\beta$ . dicraeus. Meth. Lich. p. 353.

Habitat cum priore.

**Descript.** Podetia sescuncialia biuncialiaque

albo-pallido-viridia et tantummodo ad apices subdivisa et furcata.

**Observat.** Scyphos regulares clausos margine subintegros Acharius in hac forma vidisse affirmat, et axillas perforatas in podetiis ascypophis. Specimina Sudett., quae Clarissimi de Flotow liberalitati debeo, aequo scyphos minutos margine dentatos et fundo perforatos atque axillas ostendunt. Excepta scyphorum praesentia ad Cladoniae stellatae formas simpliciores habitu prope accedit, et facile cum eis confundi potest, ut et sequentes variationes, quae interdum pro Lichene unciali Linn. genuino habitae sunt.

c. *medusina*: podetiis elongatis gracillimis erectis strictis (vel curvatis) glabris pallidis dichotomis, apicibus bifurcis nigris.

Cenomyce oxyceras β. *medusina*. Ach. Syn. Lich. p. 265. Lichenogr. univ. p. 557.

Coralloides luteola. Bory de St. Vincent Voy. III. p. 102. (secundum specimina, a Cel. Auctore accepta).

Lichen medusinus. Ejusd. I. c.

Habitat in Insula Borbonia, sicut in montibus Germaniae, Helvetiae.

**Observat.** Specimina, quae vidi, tantum podetia subulata hujus speciei exhibebant, formam itaque cornutam et sterilem, qualem etiam in Germaniae Helvetiaeque montibus obviam invenies, quamquam specimina Europaea, quoad colorem, ab amoene flavo

et exoticon aliquantulum in pallide flavum  
recedunt.

*β. spiculata*: podetiis filiformibus glabris pallidis,  
vage ramosis flexuosis, ramulis ultimis simpli-  
cissimis acutis concoloribus.

Cenomyce oxyceras *γ. spiculata*. Achar.

Syn. Lich. p. 265. Lichenogr. univ. p. 558.

Baeomyces spiculatus. Method. Lich. p. 555.

Lichen spiculatus. Swartz. Flor. Ind. Occid.

III. p. 1916. 1988.

Habitat in montibus Jamaiae et Borboniae.

*Observat.* Ob habitum consimilem hanc for-  
mam, non nisi podetiis sterilibus notam, ad  
Cenomycen suam oxyceram referre haud du-  
bitavit Acharius, a quo, collatis specimi-  
nibus Boryanis, non dissentio. Extremi-  
tates concolores varietatis characterem praebent.  
Podetia ceterum parum ramosa. Rami  
patuli graciles teretes vix ramulosi, sensim  
attenuati et apice erecti nudi. Thallus folia-  
ceus et sporocarpia in speciminibus adhuc  
visis defuerunt.

*γ. myriocraea*: podetiis albo-stramineis ramosis-  
simis ramis ramulisque patulis implexis attenua-  
tis, apice imperforatis bi-trifurcatis nigricantibus,  
axillis omnibus perviis.

Cenomyce uncialis *γ. bolacina*. Achar. Li-  
chenogr. univers. p. 559.

Habitat cum praecedentibus.

**Observat.** 1. Podetia vix pollicaria in caespitum pulvinatum fruticuliformem implexa, valde et vage ramosa albo-pallescentia nuda. Axillas, ab Achario l. c. imperforatas descriptas, in exemplare, in Nordlandia Saltensi Norvegiae a Clar. Sommerfeltio lecto, fere hiantes, speciei indoli consentaneas, observo.

**Obs.** 2. Nomen *bolacinae* minus aptum videbatur; in *myriocraeam* mutavi.

**Obs.** 5. Varietatem e) „*obtusatam*“ (Achar. Syn. Lich. p. 265. Lichenogr. univ. p. 559.) delendam esse credidi, cum sit hujus aut *Cladoniae stellatae* forma, tantum exemplaria proculcatione mutata et corrupta exhibeat. Variationes consimiles, casu corruptae, saepius occurunt; attamen e systematica *Cladoniarum* enumeratione jure eliminandae sunt.

#### SECTIO QUARTA.

#### *Cladoniae infundibuliformes.*

(Chasmaria Flörk.)

Thallo foliaceo. Podetiorum extremitatibus axillisque scyphoideo-ampliatis omnino perviis, nonnullis apice subulatis.

\*51. **CLADONIA cenotea:** thalli foliolis minutis lobato-crenatis; podetiis tenuissime pulverulentis albis, subteretibus ramosis, axillis apicibusque dilatatis scyphiformibus omnino perviis; margine aperturarum denticulato-radiato utplu-

rimum proliferò; sporocarpiis sessilibus aggregatis carneo-, subinde nigro-fuscis.

*Cladonia cenotea.* Linn. Syst. Vegetab. ed.

Spr. I. c. p. 263.

*Cenomyce cenotea.* Sommerf. Suppl.

Flor. Lappon. p. 153.

*Cenomyce cenotea.* Flörk. Deut. Lich. IX.

p. 15.

*Cenom. cenot.* Achar. Syn. Lich. p. 271.

*Cenom. gonorega*  $\alpha$ . *cenotea.* Ejusd. Lichenogr. univ. p. 551.

*Baeomyces cenoteus.* Ejusd. Meth. Lich. p. 345.

*Cladonia uncinata.* Hoffm. Flor. Germ. 1795. p. 116. (Exclus. synon. Dillenii tab. XVI. f. 21. A.)

*Icon.* Achar. Method. Lich. I. c. tab. VII. fig. 7. (optima).

*Exsicc.* El. Fries. Lichen. Suec. exsicc. no.

55. *Cenomyce brachiata.*

Flörk. Deut. Lich. I. c. no. 177.

Habitat ad truncos putridos et ligna demortua muscis tecta, in Germania, Helvetia, Suecia et forsitan per omnem Europam.

*Descript.* Thalli foliola cinereo-viridia minuta subfurfuracea, quandoque majora ad duarum linearum longitudinem extensa lobata vel laciniata, la-

ciniis crenatis et dentatis. Podetia cylindrica basi pulvere fusco-cinereo furfuraceo adspersa, superne alba tenuissime pulverulenta, in scyphos pervios intrinsecus fuscos et glabros dilatata, quorum margo dentibus perforatis, proliferationum initiis, coronatus observatur. Podetiorum rami, e margine aperiturarum oriundi, in proliferationes iterum ramosas, bis, ter, quaterve iteratas abientes, saepissime subinflati ventricosi sunt, axillis ampliatis perviis. — Maxima exemplaria, quinques prolificata, 3-4 pollicum altitudinem vix attingunt. Sporocarpia flavo-, carneo-, denique nigro-fusca, ad aperiturarum terminalium marginem subsessilia aggregata, rarissime confluentia.

*Observat.* 1. Cladoniam uncinatam Hoffmannii ad hanc pertinere, nec ad Cenom. uncialem, quacum Acharius (Synops. Lich, p. 277.) coniunxit, e descriptione, ab Hoffmannio data: „*pulverulenta incana superficie*“ (Flor. Germ. I. c.) luculenter patet. Coralloides autem perforatum majus molle et crassum Dillen. Hist. musc. p. 98. tab XVI. f. 21. A: synonymum Cladoniae hujus ceno-teae, (contra Hoffmannii sententiam) esse nequit, quippe de sua planta Dillenius, *lanuginosam, canam et pulverulentam non esse* pronuntiat. (Vid. Cladoniae stellatae varietatem polycraeam).

*Obs. 2.* De nominibus tribus „uncinatae“, „cenoteae“ et „brachiatae“, ab auctoribus celeberrimis Hoffmannio, Achario et

land Friesio speciei impositis, medium, ab Achario electum, adoptavi, quod aptissimum mihi videbatur, si nomen genericum **Cladonia** est, nec **Cenomyce**. Achario quoque primam de hac specie debemus notionem certam, in Methodo Lichenum datam, figurasque (ibid. tab. VII. f. 7. A — E.) optimas. Ideoque nomen specificum, ab eo electum, sine dubitatione praferendum esse putavi.

**Obs. 3.** Qua autem ratione in Lichenographia universali p. 551. Acharius speciem hanc cum Cladonia degenerente (Cenom. gonorega Achar.) confundere potuerit, — Cladonia in infundibuliformem, pulverulentam, extremitatibus omnino perviis, cum Cladonia scyphifera glabra, scyphis diaphragmate imperforato clausis! — nullo prorsus modo intelligo.

\*b. *viminalis*: podetiis elongatis gracilibus ramosis pulverulentis albis, ramis subulatis vel apice perforatis stellatim denticulatis, fructificantium ramis apice parum ampliatis, perviis, brevissime ramulosis fructiferis, sporocarpiis minutis carneo-fuscis:

Habitat cum priore, at rarius occurrit.

**Descript.** Podetia biuncialia et triuncialia, vix lineae dimidium crassa, apice utplurimum subulata, alias perforata denticulis minutissimis nigro-fuscis sterilibus coronata. Fructificantium rami breviores apice subscyphiformes sive parum ampliati, pervii,

sporocarpia marginalia minuta subtessilia carneo-fusca gerentes.

*Observat.* Hanc formam olim rhabdinam vocavi.

\*52. **CLADONIA squamosa:** thalli foliolis laciniatis, laciiniis angustis lobato-crenatis; podetiis elongatis, proliferatione ramosis, apice axillisque dilatatis perviis, totis furfuraceo-vel phylloideo-squamosis, ex albido cinereo-viridibus; sporocarpiis cymae ad instar aggregatis fuscis.

*Cladonia squamosa.* Linn. Syst. Vegetab. ed. Spr. I. c. p. 273.

*Cladon. ventricosa.* Schaeff. Lichen. Helvet. Spicil. I. p. 36. (Excl. *Cladon. ventricosa.* Hoffm.)

*Cenomyce squamosa.* Flörk. Deut. Lich. VI. p. 9.

*Cenom. sparassa.* Achar. Syn. Lich. p. 273.

*Cenom. allotropae* var. *S. sparassa.* Lichenogr. univ. p. 556.

*Baeomyces squamosus.* Wahlenb. Flor. Lappon. p. 456. Flor. Upsal. p. 420.

*Cladonia squamosa.* Hoffm. Flor. German. 1795. p. 125 cum varietatibus attenuata, denticolli et irregulari (exclus. tamen syn. Dill. tab. XV. f. 20. — Exclusa porro varietate coronata cum synonymo Dill. tab. XV. f. 19.).

Lichen caespitosus. Lamarek. (secund.  
exempl. a Cel. Persoonio missum.)

Icon. Dillen. Histor. musc. tab. XVI. f. 22. H.

Exsicc. Schaer. Lichen. Helvet. exsicc. fasc.  
III. no. 72. 73. 74.

Flörk. Deut. Lich. no. 112. A. B.

Fries. Lichen. Suec. exsicc. no. 57.

Funck. kryptog. Gewächs. cet. XXIII. no.  
479. Cenomyce sparassæ.

Habitat ad terram et ligna putrida in silvis prae-  
cipue montosis Germaniae, Helvetiae, Gal-  
liae, Sueciae et forsitan totius Europæ. (Spe-  
cimina exotica nondum vidi.)

Descript. Thallus foliaceus saepissime furfu-  
raceam, vel squamoso-pulveraceam praebet fa-  
ciem, pulvinulos convexos exhibentem. Podetia  
ab initio in aperturam scyphiformem, omnino per-  
viam, absque ulla membrana intergerina, desinen-  
tia, e margine dentato varie ramosa vel bis terve  
prolifera, et tunc bi-triuncialia et altiora; ceterum  
perquam irregularia, ramis iterum prolificantibus  
subventricosis, attenuatis vel multifariam ramosis,  
axillis ampliatis hiantibus, margine dilaceratis.  
Podetiorum superficies, propriæ albida nodulosa  
lacunosa glabra fere undique squamis foliosis laci-  
niatis, laciniis iterum divisis vel lobato-crenatis,  
cinereo-viridibus, subtus albissimis, vel pulvere

furfuraceo ut plurimum densissime adspersa. Sporocarpia dentibus aperturarum marginalibus apicibusque ramulorum terminalium provenientia, plerumque minuta dilute fusca, racemoso- vel cymoso-aggregata, denique subcoalescentia nigro-fusca.

*Observat. 1.* Exemplaria quoad magnitudinem, caespitum densitatem, squamarumque, podo-tia vestientium, copiam eximie variant, ut variationum turba in varietates subvarietatesque dividenda videretur, quae tamen per transitus, vix sentiendos, inter se confluunt, ut unam tantummodo constituant speciem.

*Obs. 2.* Cladoniae squamosae var. coronata Hoffm. Deut. Flor. p. 125. secundum specimen genuinum, a Cel. Persoonio benebole mecum communicatum, ad Cladoniam delicatam releganda est. Synonymum Dillenii autem, ab Hoffmannio ad hanc varietatem adlatum, (tab. XV. f. 19.) ob „*tuberculata* „*coccinea*, *scarlatino colore superbientia*“ (Dill. Hist. musc. p. 96.) nullo modo cum ulla Cladoniae squamosae variatione conjungi potest, cum Cladoniae phaeocarpiae a coccinocarpiis toto coelo diversae sint. Transitus ab una in alteram nunquam mihi innotuit. Dilleniana illa figura, et quidem C. Cladoniae Flörkianae varietatem leucophyllam, statu fertilissimo, optime repraesentat. Figurae A et B. ad Cladoniam digitatam pertinent.

*Obs. 5.* Cladoniae squamosae var. irregularis Hoffm. l. c. ut synonymum genuinum facile agnosco, exclusa tamen Dillenii figura 20, tabulae XV, quae cum Cladonia pityrea melius congruere videtur. Confer adnotaciones,

hanc figuram spectantes, pag. 44. obs. 1. et  
pag. 81. obs. 1.

\*b. *squamosissima*: podetiis elongatis flexuosis  
varie ramosis densissime squamis phylloideis la-  
ciniatis ut plurimum majoribus cinereo-virescen-  
tibus vestitis.

Habitat iisdem cum priore locis praesertim in  
silvis montosis rupibusque muscosis.

*Descript.* Podetia majuscula 3 — 4 pollicaria,  
quoad formam primitivam a priore haud abhorrent;  
aetate tamen lacunosa fissaque evadunt, axillis  
amplius hiantibus, ad oras dilaceratis. Tota planta  
dilaceratam prodit faciem ob squamas foliosas in-  
numeras laciniatas quandoque perquam spectabiles,  
podetia et ramos undique usque ad apices obtegen-  
tes. Sporocarpia ut in praecedente.

\*β. *asperella*: podetiis elongatis gracilibus strictis  
glabriusculis squamulis minutis vel pulverulenta  
scabritie parum asperatis cinereo-fuscis, apice  
infundibuliformibus perviis, e margine apertu-  
rarum dentatis, prolificantibus vel varie ramosis;  
sporocarpiis cymoso-aggregatis fuscis, subinde  
nigrescentibus.

Habitat ad ligna putrida in silvis Germaniae.

In silva *Rostocker Heide* passim.

*Descript.* Thallus prioris, at tenuior et minus  
acervatus. Podetia  $1\frac{1}{2}$  — biuncialia cylindrica,

$\frac{1}{2}$  — 1 lin. crassa, erecta stricta, ab initio glabra, paucis tantummodo squamis hinc inde adspersa, denique, epidermide subdecorticata, parum exasperantur, in primis superne, ubi scabritie subpulverulenta vestita esse solent. Color eorum ex albo vel cinereo in fuscum transit. Dilatationes terminales infundibuliformes angustiores, perviae, margine dentato-radiatae, dentibus subsubulatis vel scyphuliferis et semel raro bis proliferis, alias ramosissimis, ramulis subfastigiatis. Sporocarpia ad ramulorum apices provenientia ut plurimum minuta fusca, subinde nigra sunt.

b. *multibrachiata*: podetiis minutulis gracillimis glabris cinereo-fuscis, squamulis perpaucis adspersis, e margine aperturarum scyphiformium pluries iterato-prolificantibus et ramosis; scyphulis terminalibus denticulis nigris, apice perforatis, coronatis.

Habitat ad rupes terra glareosa turfosaque tectas in Alpibus Salisburgg. (in Valle Gastein Laurer), in Montt. Sudett. (in Monte Korkonusch de Flotow), et in subalpinis Norvegiae (Sommerfelt).

*Descript.* Thalli foliola laciniata laciniis lobatis. Podetia primitiva vix  $\frac{1}{4}$  uncialia filiformia, superne in scyphulum pervium margine dentatum

dilatata, cuius ex dentibus prolificationes 6—8 iteratae adsurgunt, quarum rami caespitem pollicarem dense complicatum formant, squamis solitariis quandoque instructum. Superficies podetiorum glabriuscula cinereo-fusca, rarius granulis squa-maeformibus exasperata. Scyphuli ultimi angustiores et obscurius colorati, quam inferiores, ceterum omnes steriles.

*Observat.* Exemplaria Salisburgensia, quae am. Laurero debo, Sudetis tenuiora saepiusque prolificata sunt et exakte iconi, a Dillenio tab. XIV. f. 12. B. datae, quod ad habitum et magnitudinem attinet, respondent; tamen dubius haereo, utrum haec figura ad Cladoniae squamosae formam hanc trahenda sit, an ad aliam, jam memoratam (vid. Clad. pityreae varietatem cladomorpham p. 81. et observationes 1 et 2. p. 82.) quia Dillenius de natura scyphulorum propria, utrum fundo nempe pervii sint, an clausi, nullam in textu pag. 87. fecerit mentionem. In hac ambiguitate scyphulos membrana intergerina, sive diaphragmate, clausos Dillenium vidisse cogitavi, ideoque figuram commemoratam (12. B.) cum Cladoniae pityreae varietate cladomorpha conjunxi.

\**y. lactea:* podetiis breviusculis apice infundibuliformibus perviis, margine aperturarum terminalium axillarumque hiantium dentatis et inde iterato-prolificantibus et ramosis; superficie glabris, denique nodulosis granulatoque sub-

squamosis lacteis subfuscouscentibus; sporocarpiis  
cymosis fuscis.

Habitat ad radices arborum in pinetis Germaniae. In silva *Rostocker Heide* passim.

*Descript.* Podetia bis terve prolificata duorum pollicum altitudinem vix attingunt, et crassitatem pennae columbinae fere habent, exceptis scyphis et axillis, quae magis extenduntur. Caespites formant ramis prolificatis subimplexis. Superficies primum omnino glabra et lactea, subinde nodulis squamulisque aliquot exasperata. Ad aperturarum oras quandoque subdilaceratas denticuli adparent minuti nigricantes, alias sporocarpia subpodicillata fusca, cymam repraesentantia magis minusve congestam.

\*b. *tenellula*: podetiis minutulis gracilibus glabris subsquamulosis dilute e fusco albis, e margine aperturarum bis terve radiato-prolificantibus, radiis omnibus apice perforatis denticulis minutissimis fusco-nigricantibus coronatis.

Habitat cum priore.

*Descript.* Parum differt a priore, nisi statura minore subpollicari, gracilitate partium, in primis radiorum terminalium, et glabritate. Rarissime podetia squamis solitariis adspersa videbis, nodulis subpulveraceis nunquam. Colorem non pure lacteum sed dilute fusco-album conspicio. Thalli

foliola in hac et praecedente minuta laciniata vel furfuraceo - subpulverulenta sunt, parcius sparsa, saltem minime pulvinata, ceterum e luteo fusco-viridia, subtus albissima.

**Observat.** 1. Varietas lactea cum subvarietate tenellula ab habitu Cladoniae squamosae primitivo multum quidem recedit, praesertim glabritie; ad quam tamen referenda, propter modum prolificandi peculiarem, in nulla alia specie, excepta cenotea, notum.

**Obs. 2.** A Cladonia cenotea, pulvere tenuissimo albo aequabiliter conspersa, differt haec Cladoniae squamosae varietas lactea glabritie et subvarietas tenellula omnium partium praeterea gracilitate.

\*δ. *polychonia*: podetiis cylindricis glabris, deinde subfurfuraceo - pulverulentis viridi - cinereis, superne scyphoideo - dilatatis hiantibus; aperturarum margine radiato, radiis patulo - divergentibus iterato - proliferis, scyphulis extremis dentatis, dentibus nigris apice perforatis.

Habitat ad terram in silva *Rostocker Heide* passim.

**Descript.** Thalli foliola laciniata, laciniis lobato - crenatis, ad oras granulis furfuraceis adspersis, viridi cinereis, subtus albissimis. Podetia uncialia, cum proliferationibus subbiuncialia  $\frac{1}{2}$  — 1 lin. crassa, ab initio glabra viridi - cinerea, subinde epidermide soluta, subfurfuraceo - pulverulenta

sunt. Podetiorum basis et pars eorum inferior saepe squamis thalloideis, Cladoniarum more, vestitae adparent. Scyphus primarius 2—3 lin. expansus, omnino pervius, ut ceteri omnes. Scyphorum margo radiis 5—10 occupatus est patulis et subdivergentibus, bis terve iterato-proliferis, scyphis extremis perquam minutis, sterilibus, margine denticulos nigros apice perforatos gerentibus.

*Observat.* 1. Dillenii tab. XV. fig. 17. A. hujus varietatis *polychoniae* habitum optime exprimit, attamen melius Cladoniae polydactylae respondet, cum autor scyphis membranam intergerinam tribuat, dicens, (p. 94.) „scyphi modice cavi et membrana intergerina a tubi cavitate distincti.“

*Obs.* 2. Denticuli scyphorum marginales sive cephalodia nigra, apice perforata in specimibus infundibuliformibus saepius observantur. Radiorum, apice perviorum, primordia sunt, casu oppressorum et inde nigratorum.

\*b. *ferulacea*: podetiis elongatis gracilibus subulatis, aliis superne ramosis vel in scyphum pervium longe radiatum extensis, omnibus albo-, subinde cinereo-fusco-pulverulentis sterilibus.

Habitat ad terram sabulosam in pinetis prope Oldendorf in vicinitate Rostochiensi.

*Observat.* 1. Varietas haecce Cladoniae pyxidatae formis quibusdam, scilicet cornutae, radiatae et dendroidi, magnitudine, habitu, pulvere superficiali, quandoque etiam colore

propius accedit, ut incante agentem facillime fallere possit; absentia tamen membranae intergerinae in scyphorum fundo affinitatem cum Cladonia squamosa, et superficies pulv- rulenta proxime cum varietate ejus polychonia demonstrant.

**Obs. 2.** Si quaeras de affinitate cum Cladoniae cenoteae varietate viminali, cui, excepto colore, omnino similis, dicendum est, locus natalis varietatis ferulaceae, — terra sabu- losa in pinetis junioribus, Cladoniam ceno- team, ligna putrida amantem, nunquam pro- fert; praeterea podetiorum basis apicesque, nec non rami, scyphorumque radii subulati, saepissime, vel potius de more, pulvere pas- sim destituti vel denudati observantur, tan- tum minutis sorediis albis adspersi; contra quod Cladoniae cenoteae superficies semper undique aequabiliter pulverulenta est.

**Obs. 3.** Prolificationes in hac varietate desunt, at radii scyphorum hiantium fere unciam per attingunt longitudinem,

**Obs. 4.** Podetia nonnulla in longitudinem fissa observo.

**35. CLADONIA Dilleniana:** thalli foliolis inciso- lobatis, podetiis superne infundibuliformibus perviis margine iterato-proliferis glabriusculis e cinereo candidantibus; axillis hiantibus foliolis crebris cinctis, aperturis terminalibus margine radiatis; sporocarpiis parvis e spadiceo ru- fescensibus.

Coralloides pulchrum, geniculis acetabulifor-

mibus crispifoliosis. Dillen. Histor. musc.  
p. 100. tab. XVI. f. 23.

Habitat in Insula Providentia Indiae Occid.

*Descript.* Speciem hanc, mihi ignotam, Dillenius l. c. ita descriptsit: „Ex Providentia Insula delata et à Marco Catesby communicata fuerunt exemplaria plura elegantis hujus speciei, quae altitudine sunt biunciali et paulo ampliore, invicem connata, coliculis incano candore conspicuis, non fragilibus instar praecedentium duarum specierum (*Cladoniae stellatae* specimina), sed magis lentis, minus glabris, qui id peculiare habent, quod genicula acetabuli instar hient et per oras foliis varie et argute laciniatis cincti sint, quibus ab omnibus hujus generis notis speciebus differt. Ceterum foliola haec superne ex albo flavescunt, inferne incana sunt. Extremitates in similia acetabula, sed minora, desinunt, non foliacea, verum radiis multis cincta, quibus tubercula insident parva, ex spadiceo rufescentia.“

*Observat.* Ad hanc Cladoniarum sectionem quartam *Cladoniae furcatae* var. *crispata* prope accedere videtur, cuius podetia principalia, sive primaria, apice ampliata pervia immo hiantia sunt, quod etiam valet de *Cladoniae glaucae* podetiis principalibus fructiferis, quandoque similiter subinfundibuliformibus.

SECTIO QUINTA.

*Cladoniae fruticulosae.*

A. *Podetiis ramosis, ramis ramulisque subulatis, axillis quandoque perforatis, lateribus integris.*

\*34. **CLADONIA glauca:** podetiis fruticuloso-ramosis ad axillas subperforatis, squamulosopulverulentis albido-glaucis, sterilium ramis subulatis, fructificantibus superne dilatatis per viis subfissis; sporocarpiis ad oras aperturarum dilaceratas sparsis confertiusculis minutis dilute carneo-fuscis.

Habitat in pinetis umbrosis ad terram sabulosam foliis acerosis tectam prope oppidum.

*Wahren* in Magno Ducatu Mecklenburgensi, in silva Damerow prope Rostochium et alibi passim.

**Descript.** Thalli foliola minutissima laciniata albido-glaucia subtus nuda albissima. Podetia 2—3 pollicaria et altiora, lineam crassa, pulvere squamuoso molli albido-glaucio obsita. Sterilia graciliora ramosiora fruticuliformia ramis subulatis et curvatis, saepe tamen simplicia cornuta. Fructificantia crassiora superne subdilatata, ad axillas perforata apiceque pervia hiantia dilacerateque fissa. Sporocarpia minutula ad aperturarum oras erosas lacerasque sparsa vel confertim aggregata, saepe

foliolis squamosis mixta, colore primum dilute carneo-fusco, subinde obscurius fusco.

*Observat.* 1. Cave, ne cum cladoniae pyxidatae formis cornutis ramosioribus, quandoque pariter glaucis, confundas. Differt enim ab his 1) axillis subperforatis; 2) pube superficiali subfurfuracea crassiore, et non tenuissime pulverulenta et adpressa; 3) substantia podetiorum molliore et flexibiliore et 4) scyphis plane nullis.

*Obs. 2.* Cum Cladoniae pyxidatae varietatis chlorophaeae podetiis fruticulosis conjungere vellem, nisi ramorum apice attenuatorum nec truncatorum copia et laxitas obstarent. Centerum totus etiam habitus descriptus a varietatis chlorophaeae formis adeo abhorrere videtur, ut nec quisquam affinitatem specierum ambarum inter se concedendam esse crediturus sit; et tamen permultae occurrunt variationes, a typo speciei aberrantes, sensim sensimque ad alteram accedentes, ut parum absit, quin eas ut transitus, ambas in unam speciem connectentes, agnoscerem.

\*35. CLADONIA *furcata*: podetiis elongatis gracilibus laevibus albo-viridibus, lividis subspadiceis dichotomo-ramosis, axillis subperforatis, ramulis acicularibus curvatis, apicibus furcatis divergentibus; fertilium sporocarpiis subfastigiatis fuscis.

Cladonia furcata. Linn. Syst. Veget. ed.

Spr. l. c. p. 270.

Cenomyce furcata. Sommerf. Suppl.

Flor. Lapponicae. p. 155.

Cenom. furcata. Flörk. Deut. Lichen. X.

p. 14.

Cenom. furcata. Achar. Syn. Lich. p. 276.

Cladonia furcata. Hoffm. Flor. Germ. p. 115.

Icon. Dillen. Histor. musc. tab. XVI. f. 27. C.

Exsicc. Flörk. Deut. Lich. no. 196.

Fries. Lich. Suec. exsicc. no. 58. Cenomyce  
racemosa.

Schaer. Lichen. Helvet. exsicc. no. 81.  
(specimina validiora ut et Friesiana).

Habitat ad terram in silvis praesertim acerosis,  
ad rupes, terra leviter tectas, Germaniae,  
Helvetiae, Sueciae cet.

*Descript.* De Thallo primitivo in adultis spe-  
ciminibus rarissime vestigium restat, ut in omnibus  
hujus sectionis speciebus. Caespites plerumque  
biunciales podetiis gracilibus, apicibus ramorum  
subulatis, colore ex albo-viridi, in lividum vel  
fuscum vergente. Fertilium apices parum dilatati,  
varie divisi sunt et cymam sporocarpiorum dilute  
vel obscurius fuscorum ostendunt.

*Observat.* 1. Haec speciei perquam polymor-  
phae vulgatior simulque simplicior forma est,  
ideoque primus ei varietatum locus de jure  
debet. Omnis variationum turba quadruplici  
ratione considerari potest: 1) respectu statu-

rae habitusque, 2) coloris, 3) inflorescentiae sive sporocarpiorum situs et 4) respectu pubescentiae. Quum autem omnes hi characteres aberrantes quandoque in uno eodemque exemplare, alii in speciminibus diversissimae statura et conditionis obvii deprehendantur, vix sufficientes videntur ad varietates speciei certas exstruendas. Ex innumerabili hujus speciei variationum copia sequentes tamen varietates subvarietatesque, ut maxime memorabiles, seligendas esse credidi, ut complexus speciei, quatenus mihi adhuc notus, eo praeclarior pateat. In componenda varietatum serie staturam habitumque praecepue consideravi, quia ceterae aberrationes commemoratae perquam accidentes sint.

\*b. *tenuissima*: podetiis gracillimis glabris ramosis flexuosis livido-cinereis, apice ramosioribus fuscis substerilibus.

Habitat ad terram in silvis German. Sept. prope Rostochium passim; in Neo-Marchia (de Flotow).

*Observat.* Specimina uncialia et gracillima ut plurimum sterilia sunt, paulo majora  $1\frac{1}{2}$ -biuncialia et validiora, formae  $\alpha$ , aut variacionibus sequentibus accendentia, sporocarpiis paucis fuscis ad podetiorum principalium apices instructa observo. Podetiorum color ex albido lividus et ramorum copia perquam variant.

\*c. *subulata*: podetiis elongatis gracilibus laevigatis fusco-cinereis parce ramosis, ramis ere-

*erectiusculis subulatis, fertilium sporocarpiis sub-*  
*solitariis terminalibus.*

*Cladoniae fruticosae var. subulata.* Schaeer.

Lich. Helvet. Spic. p. 40.

*Cenom. furcatae var. subulata.* Flörk. Deut.

Lichen. X. p. 14.

*Cenom. furc. β. subul.* Achar. Syn. p. 276.

*Cenom. ecmocynae var. δ. subulata.* Ejd.

Lichenogr. univ. p. 550.

*Clad. subulata.* Hoffm. Flor. Germ. p. 118.

*Icon.* Dillen. Histor. musc. tab. XVI. f. 26.

A. B. C.

*Exsicc.* Flörk. Deut. Lich. no. 197.

Habitat cum priore.

*Observat.* Exemplaria 2 — 3 - uncialia habitu  
 formae primariae, sive varietati  $\alpha$ , interdum  
 tam prope accedunt, ut aegre ab ea segregari  
 possint, et quasi lichenem cornutum speciei  
 exhibeant, intermixtis aliquot podetiis fructi-  
 ficantibus.

\*d. *cymosa*: podetiis elongatis gracilibus laevigatis  
fusco- vel albo-viridi-cinereis parce ramosis,  
 ramis erectiusculis subulatis; fertilium validio-  
 rum apicibus cymæ ad instar divisis copiose  
 fructiferis.

Habitat cum prioribus praesertim locis gra-  
 minosis in pinetis, in Silva Cramonberg  
 prope Kassbohm in vicinitate Rostochiensi.

**Descript.** Specimina caespitosa ut in prioribus. Podetia principalia in medio caespite fructifera cymam formosam subcorymbosam exhibent, sporocarpiis dilute, subinde saturate fuscis, ut in omnibus hujus speciei variationibus. Podetia secundaria, caespitum ambitum occupantia, ramosa sunt, apicibus subulatis sterilibus.

e. truncata: podetiis elongatis strictis crassioribus, parce ramosis laevigatis, e viridi fusco-cinereis, squamis adspersis, apice ramulis numerosis brevissimis subfastigiatis coronatis, fertilium apicibus in cymam expansam fructigeram desinentibus.

Habitat ad terram in monte Schneeberg Moraviae. (de Flotow).

**Descript.** Podetia biuncialia lineam crassa et crassiora, fere omnia squamis phylloideis, thallum referentibus, modice adspersa, ceterum laevigata, immo glabriuscula. Podetiorum ramorumque apices ramulis brevissimis, cephalodio fusco-nigro terminatis, subfastigiatis, coronati sunt, et inde truncati apparent. Podetia fertilia superne incrassata in cymam octo linearum expanduntur, sporocarpiis majoribus fuscis instructam.

**Observat.** Hujus variationis character verus in ramulorum terminalium subfastigiatorum copia ponendus est; squamae accidentes aestimandae sunt, quum in omnibus fere speciei formis quandoque conspiciantur.

\*f. *implexa*: podetiis gracilibus laevigatis fusco-cinereis, parce ramosis curvato-flexuosis decumbentibus implexis; fertilium sporocarpiis subsolitariis, vix cymosis.

Habitat ad terram umbrosam in pinetis. In silva Damerow prope Barnsdorf in ditione Rostochiensi.

*Descript.* Specimina craticulam implexam repreäsentant, podetiis subfiliformibus decumbentibus parum ramosis, curvando implicatis plerumque sterilibus, colore fusco-cinereo, in statu recentiore viridi-livido. Sporocarpia ad podetiorum vel ramorum apices subsolitaria vel gemina, trina, aggregata, rarius cymam tenuem exhibent.

\**β. spadicea*: podetiis gracilibus flexuosis erectis laevigatis spadiceis nigrescentibusque, subdichotomis furcatis, quandoque ramulis patentibus muricatis; fertilibus crassioribus apice subdivisis digitato-radiatis; sporocarpiis fusco-nigris.

*Cladonia spadicea. Persoon. (secundum specim. missum).*

Habitat ad terram locis sterilibus apricis Germaniae. Prope Jenam, Berolinum, Rostochium. In silva Cramonberg.

*Descript.* Specimina saepe caespitosa podetiis erectis flexuosis; alias subdecumbentia podetiis

curvatis subimplexis, Corniculariae aculeatae habitum referentia, cui etiam denticolorum laterali copia coloreque similia. Sole torrefacta de-nigrataque sunt, ideoque habitum tenuem minime luxuriosum monstrant.

**Observat.** A Cladoniae gracilis varietate amaura, cui quoad colorem interdum accedit, scyphorum defectu differt. Simili modo a Cladoniae squamosae var. multibrachiata, cuius autem scyphi fundo perforati sunt.

\**y. recurva*: podetiis crassioribus ramosis, erecto-  
recurvatis viridi-cinereo-lividis, ramis numerosis brevibus subulatis subfurcatisque, squamis  
phyloideis adspersis; fertilium apicibus incrassatis, digitato-divisis subcymosis; sporocarpiis paucis dilute fuscis.

Cladoniae fruticosae var. *recurva*. Schaeer.

Lich. Helvet. Spicil. p. 40. Dillen.

Histor. musc. tab. XVI. f. 27. D.

Habitat ad terram in pinetis Germaniae. In silva Damerow prope pagum Barnsdorf in vicinitate Rostochiensi.

**Descript.** Podetia  $1\frac{1}{2}$  uncialia crassiuscula erecta ramosa subinde recurvata, ramulis numerosis subulatis vel furcatis adscendentibus, squamis, foliola mentientibus, copiosis, nodulis quoque seu verrucis subfarinaceis vestita.

\*δ. *crispatella*: podetiis erectis gracilibus laevigatis ramosioribus cinereo-fuscis, ramis ramosissimis ultimis subfurcatis; fertilium apicibus subdivisis, sporocarpiis aggregatis et cymosis.

Habitat ad terram in pinetis prope Rostochium in silva Cramonberg.

*Descript.* Caespitose crescit, ut fere omnes. Podetia 1 —  $1\frac{1}{2}$  uncialia, superne attenuata per quam gracilia, in ramos subdichotomos capillares et brevissimos desinentia, basi subcinerea, apice magis minusve fuscescens. Sporocarpia in fertilium apice adparent podicillis brevibus insidentia, aggregata, in cymam densiusculam congesta.

*Observat.* In hujus *crispellae* consortio parvulum quoque variationem observavi, ut plurimum sterilem, podetiis per quam gracilibus, vix uncialibus, dichotomo-ramosis, ramis subadpressis, ramolorum apicibus nigris. Podetiis fertilibus superne incrassatis subcymosis.

\*ε. *crispata*: podetiis crassiusculis subinflatis glabris albido-viridi-subfuscescens ramosis, apice axillisque infundibuliformibus perviis, aperturarum margine dilacerato-dentatis cristatis; sporocarpiis in cymam congestam aggregatis fuscis.

Cenomyce *crispata*. Achar. Syn. Lich.

Baeomyces crispatus. Wahlenb. Flor. Suec.

II. p. 847. Flor. Lapp. no. 868.

Cenom. allotropae var.  $\zeta$ . crispata. Achar.

Lichenogr. univ. p. 555.

Baeom. turbinati var.  $\zeta$ . crispata. Ej. Method.

p. 341.

*Exsicc.* Fries. Lichen. Suec. exsicc. no. 56.

Habitat ad terram in silvis acerosis umbrosis  
Germaniae, Sueciae.

*Descript.* Thallus mox evanidus. Foliola thalloidea ad podetiorum basin remanentia incisa sunt lobatoque crenata cinereo-viridia, subtus albissima nuda. Podetia primaria infundibuliformia pervia, margine bis, ter quaterve iterato-prolifera ac ramosa, tuncque triuncialia et altiora, axillis, ad trium vel quatuor linearum dimensionem oblique dilatatis apicibusque omnino hiantibus, dentibus cristatim aggregatis ramosisque subfastigiatis dilute fuscis coronatis. Podetia glabra sunt paucis tantum squamis quandoque adspersa, albido-viridia, deinde passim subfuscescens. Sporocarpia, si adsunt, denticulis marginalibus insident, numerosa minuta aggregata vel cymosa observavi, rarissime confluentia, in statu juvenili dilute, deinde nigro-fusca.

*Observat.* 1. Nisi variationum, hanc gravissime aberrantem formam cum Cladonia furcata

gradatim connectentium copia parata adesset, certe ambas in unam conjungere speciem dubitavissem. In Lichenum et praesertim Cladoniartum dispositione characteres specificos quam maxime laxos admittere necesse est, quum natura ipsa specierum fines negligere videatur.

**Obs. 2.** Varietas haecce crispata ab Achario, Wahlenbergio et me ipso in numero specierum distinctarum habita fuit, propter habitum suum insignem, Cladoniis sectionis quartae, scilicet infundibuliformibus, congruentem. Quum interea specimina maxime hiantia, marginibusque cristata, locis tantummodo umbrosis inveniantur, nunquam apricis, aberrantem formam a loci natalis conditione derivandam esse puto. Epidermidis natura glabra colorque, et ramorum indoles, cum Cladonia furcata omnino convenient, affinitatemque demonstrant.

\*b. *blastica*: podetiis cylindraceis albo-viridifuscentibus glabris, subinde scabridis, apice perviis ramoso-subdivisis; sporocarpiis terminalibus majoribus conglomeratis fuscis.

*Cenomyces gonoregae* var. *β. blastica*. Achar.  
Lichenogr. univ. p. 552.

*Baeom. sparassi* var. *γ. blastica*. Ej. Method.  
p. 347,

Habitat iisdem cum priore regionibus, at locis apricis.

**Descript.** Podetia uncialia, cylindrica apice in scyphum pervium hiantem dilatata glabra, sub-

inde squamulis nodulisque exasperata, e viridi ci-  
nereo-fusca. Scyphorum margo denticulis cri-  
status, vel ramis brevibus proliferis, vel sporocar-  
piis majoribus fuscis subsessilibus, coronatus est.  
Quandoque proliferationes bis iteratae observantur  
perquam fertiles.

*Observat.* Acharius hancce formam cum  
Cenom. sparassa sua (*Cladonia squamosa*)  
conjunctit. Exemplaria omnia, quae possideo,  
ad Cladoniae furcatae varietatem crispatam  
referenda sunt, quacum manifeste confluit.  
Sunt podetia ante ramorum explicationem  
fructifera ideoque abbreviatam exhibentia  
faciem. Thallus etiam hinc inde conspicuus  
foliola prabet crassiora lobato-crenata, mini-  
me autem tenuissima laciniata subpulveracea.

13  
10.129

\*2. *fissa*: podetiis elongatis gracilibus ramosis  
subramosissimisve glabris, albido- vel cinereo-  
fuscis, saepe in longitudinem fissis; sporocarpiis  
cymae ad instar digestis fuscis.

Habitat ad terram in pinetis prope Rosto-  
chium passim.

*Descript.* Podetia subbiuncialia  $\frac{1}{2}$  lin. crassa,  
in primis sursum subramosissima, extremitatibus  
omnibus in cephalodium nigro-fuscum, sporocar-  
pium juvenile, desinentibus. Color ut plurimum  
cinereo-fuscus podetiorum ramorumque apice in  
fuscum transit. Nota characteristica in eo tamen  
consistit, quod podetia principalia ramique crassio-

res in longitudinem fissa, quandoque etiam poris aliquot irregularibus percussa obseruantur. Podetia fertilia sporocarpiorum minutulorum magna copia, in cymas terminales partim et laterales aggregatorum instructa sunt.

*Observat.* In quibusdam sporocarpia, ad latera podetiorum ramulis brevibus divisis insidentia, racemum parvulum exhibent, quae mihi subvarietas *racemosella* est; alia subvarietas *Arbuscula* differt podetiis ramosis, ramis per quam multifariam divisis, apicibus omnibus cephalodio minutissimo terminatis; et subvarietas *sorediata* acervulis squamularum furfuracearum, ramorum extremitates occupantibus, dignoscitur, quae forsan morbosa tantummodo variatio, ideoque a specierum varietatumque enumeratione systematica removenda.

\**n. racemosa:* podetiis elongatis crassioribus ramosis laevigatis albo-virescentibus subsquamosis spinulosisque, subinflatis passim fissis; sterilibus subulatis, fertilibus superne incrassatis, in cymam expansam laxam desinentibus; sporocarpiis numerosis dilute, denique obscure fuscis.

Cladonia racemosa. Linn. Syst. Veg. I. c.

p. 271.

Cenomyces fureatae var. *y. furcata*. Sommerf.

Suppl. Flor. Lappon. p. 134.

Cladoniae fruticosae var. *α. racemosa*. Schaeer.

Lich. Helvet. Specil. p. 59.

Baeomyces racemosus. Wahlenb. Flor.

Suec. II. p. 846. Flor. Lapp. no. 870.

Cenomyce racemosa. Achar. Syn. Lich.

p. 275.

Cenom. furcatae var. δ. spinosa. Ejd. Lichenogr. univ. p. 562.

Cladonia racemosa. Hoffm. Flor. Germ.

p. 114.

Cladonia spinosa. Ibid. p. 115.

Icon. Dillen. Histor. musc. tab. XVI. f. 25.

Exsicc. Schaer. Lich. Helvet. exsicc. fasc. IV.

Hab. ad terram graminosam muscosam in silvis,  
praecipue in montibus Germaniae, Helvetiae,  
Sueciae cet. In pinetis circa Rostochium  
passim.

**Descript.** Podetia bi-triuncialia, lineam crassā  
et validiora, laevigata subinde furfure, squamis  
spinulisque adspersa, ramosa, flexuosa curvata,  
albo-viridia, subfuscescens. Primaria inflata lacu-  
nosa passim fissa apice magis incrassata divisa, in  
cymam corymbosam vel thyrsoideam expanduntur,  
uberrime fructiferam, podicillis saepe fissis. Spor-  
ocarpia conferta minutula pallide fusca, subinde  
paulo majora obscurius colorata. — Podetia se-  
cundaria, ambitu caespitum progerminantia, saepe  
subulata subsimplicia sunt, primariorum naturam  
sequentia.

*Observat.* Et hanc formam, ab omnibus lichenologis olim ut species distincta propositam, cum Cladonia furcata conjungendam esse contendō, ob innumerās variationes adpropinquantes, transitum ab una in alteram constituentes. Subvarietates sequentes ad hanc racemosam proprius accedunt, quam ad priores; ideoque et hic locum eis dedi.

b. *regalis*: podetiis primariis maximis perquam crassis, glabris, albīs, inflatis gibbosis lacunosis hinc inde fissis, squamis phylloideis adspersis; apice in cymam thyrsoidēam sporocarpiis confertis desinentibus.

Habitat ad terrā muscosā inter rupes in

*Valle Gross-Arl* Salisb.

*Descript.* Podetia in statu recenti 6 uncialia et altiora, 4 — 6 lin. crassa, (in sicco, ut solet,  $\frac{1}{3}$  minora) parce ramosa, gibba, lacunosa et fissa quidem, axillis hiantibus, tamen glabra superficie et albidiōra, quam in alia hujus specie variatione. De thallo originario nullum vidi vestigium, exceptis squamis, podetiis passim adhaerentibus, et thallum, Cladoniarum more, repraesentantibus. Podetia secundaria substerilia multo minora, parce ramosa axillis perviis, ramis subulatis subadspersis.

\*c. *surrecta*: podetiis longioribus gracilibus erectis parce ramosis subulatis, nudis albidiis vel squamis furfuraceis cinereo - viridibus exasperatis;

primariis apice cymam sporocarpiorum contractam sustinentibus.

Habitat ad terram in silvis acerosis prope Rostochium. In silva Cramonberg.

**Descript.** Podetia 3—4 uncialia vix lin. crassa, simplicia, ramo uno alterove donata, subula, apice in furcillam minutissimam desinentia. Epidermis primum integra albo-viridis est et glabratam praebet faciem; subinde epidermide rupta, podetia squamulis furfuraceis cinereo-viridibus undique adspersa observantur. Sporocarpia in cymam contractam, immo in capitulum aggregata, ad podetiorum principalium apicem locata sunt, magis minusve fusca.

Hujus variationis podetia secundaria, in caespitum ambitu locata, sterilia subsimplicissima tenuissima subulata apice furcillata, albida et nudiuscula sunt, paucis tantum squamulis minutis exasperata. Hujusce subvarietatis lichenem cornutum exhibit, ut quaelibet fere Cladoniarum species varietasque lichenem suum cornutum proferunt.

\*d. *polyphylla*: podetiis variis, squamis phylloides majoribus quandoque creberrimis conspersis, fertilibus hinc inde fissis, sporocarpiis subcymosis fuscis.

ist  
adspersa

14.30.

H.J.R.  
198

**Icon.** Dillen. Hist. musc. tab. XVI. f. 27. E.

(minutulum hujus variationis specimen, formae exasperatae prioris accedens).

Habitat iisdem cum prioribus locis et frequenter obvia.

**Descript.** Podetia varietati *racemosae* statura, ramificatione et colore consimilia, differunt autem squamaram sive foliolorum, quibus vestita sunt, copia magna. Attamen et ceterae hujus speciei varietates omnes, etsi forma diversissimae, furfure vel squamis quandoque adspersa observantur.

\*36. CLADONIA *pungens*: podetiis gracilibus ramosissimis divaricatis nudiusculis subverruculosis albido-cinereis vel livido-fuscis, in sicco fragilissimis, ramulis rectis furcillatis subpungentibus, sporocarpiis subsolitariis sparsis, vel aggregatis racemoso-corymbosis fuscis.

Cladonia rangiformis. Linn. Syst. Veget. ed. Spr. l. c. 270.

Cenomyce rangiformis. Flörk. Deut. Lich. I. p. 12.

Cenomyce rangiferina δ. *pungens*. Achar. Synops. Lich. p. 278.

Cenom. furcatae var. 2. *pungens*. Ej. Lichenogr. univ. p. 562.

Cladonia rangiformis. Hoffm. Flor. Germ. p. 114.

*Cladonia incrassata.* Persoon. in litt. (sec.  
spec. missum).

Hab. ad terram sabulosam in pinetis, et locis  
apricis aridis omnium frequentissima in Ger-  
mania reliquaque Europa. E Groenlandia  
attulit Comes Raben.

*Descript.* Caespites efformat altitudine unciales  
subbiunciales, at latitudine saepe quam maxime  
extenduntur, podetiis ramosissimis, ramis divari-  
catis et intricatis. Podetia glabriuscula quidem,  
interdum tamen verruculosa, colore cinereo in  
viridem vel lividum fuscumque vergente. In sicco  
pungentia sunt, at fragilissima. Fertilia superne  
incrassata, cymoso- vel racemoso-corymbosa, vel  
ramis brevibus lateralibus fructigeris obtusis.

*Observat.* Nomen *rangiformis*, ab Hoff-  
mannio speciei impositum, et olim a me  
adoptatum, nunc Achariano, magis con-  
gruo, permutavi.

\*b. *procerior*: podetiis longioribus, gracilibus ra-  
mosis erectis, sporocarpiis racemoso-corymbosis  
fuscis.

Hab. ad terram ad margines silvarum acero-  
sarum, locis graminosis umbrosis, prope  
Rostochium. In silva Cramonberg.

*Descript.* Triunciale attingit altitudinem.  
Podetia vix lineae dimidium crassa ramosa, ramis

adscendentibus vel rectiusculis. Apices ramulorum denticulis minutissimis 5—5 nigris terminati. Sporocarpiorum situs colorque a praecedente non recedunt. Maxima hujus speciei et quasi cornuta forma est saepiusque sterilis.

\*c. *flavo-viridis*: podetiis variis flavo-viridibus.

Hab. cum prioribus. Prope Rostochium loco indicato.

*Descript.* Caespites ab habitu podetiorum sporocarpiorumque non recedunt, excepto colore; nunquam autem penitus flavescent, sed tantum passim, praecipue partibus inferioribus et spisse congestis, — fortasse fermentationis cuiusdam effectus, ideoque accidens, lichenologi systematici cura indignum.

\**β. nivea*: podetiis tenerrimis laevigatis ramosissimis divaricatis implexis albis, ramulis capillaribus apice subfurcillatis fuscescentibus, saepissime sterilibus, fertilibus subcymosis, sporocarpiis nigricantibus.

Cenomyces rangiformis var. *nivea*. Flörk.

Deut. Lich. VIII. p. 15.

Cenom. gonorega l. *nivea*. Achar. Synops. Lich. p. 260.

Cenom. furcata η. *nivea*. Ej. Lichenogr. univ. p. 552.

Baeom. pungens *β. niveus*. Ej. Method. p. 554.

**Exsicc.** Deut. Lich. no. 159.

Hab. ad terram locis apricis et aridis in pinetis Germaniae cet.

**Descript.** Podetia gracillima plerumque et ramosissima divaricato-implexa, et caespites effor-mant, haud tamen ita spisse congestos, ut var.  $\alpha$ , quamquam ei per transitus accedit varios, affinitatem demonstrantes. Caespites uncialem fere attin-gunt altitudinem et paulo majorem. Respectu inflorescentiae priori  $\alpha$ . plerumque similis, sporo-carpiis tamen obscurioribus. Podetiorum albedo loci natalis solisque vi efficitur. Cladonia pungens sole candificatur, Cladon. furcata contra fuscatur.

**Observat.** Acharius huic formae in Methodo Lichenum debitum assignavit locum; postea vero, in Lichenographia universalis, denique in Synopsi Lichenum, ejus naturam prorsus ignoravit, Cladoniam e sectione fruticulosarum jungens cum Cladonia scyphifera, toto coelo diversa!

\**y. foliosa*: podetiis gracilibus ramosissimis divaricatis implexis, ramulis attenuatis furcillatis rectis, cinereo-viridibus vel viridi-lividis, al-bido-maculatis phylloideo-squamosis, sporo-carpiis subsolitariis sparsis nigro-fuscis.

Cenomyces rangiformis var. foliosa. Flörk.

Deut. Lich. VIII. p. 15.

**Icon.** Dillen. l. c. tab. XVI. f. 50. C. D.

*Ersicc.* Fl. Deut. Lich. no. 158.

Hab. ad terram in pinetis umbrosis, prope Rostochium frequentissima.

*Descript.* Podetiorum habitu a varietate  $\alpha$ . vix abhorret. Maculae albidae, in eis obviae, epidermide rumpente et secedente apparent, squamarumque foliformium ortum efficiunt. Caespites plerumque humiliores subdepressi, foliis acerosis saepe obtecti sunt.

*Observat.* De monstrosis in hac specie interdum parasitice obviis corpusculis sive fungillis, habitum ejus plane mutantibus, nihil est, quod dicam. In mycologiam releganda sunt!

\*57. **CLADONIA rangiferina:** podetiis elongatis erectis verruculosis subscabriusculis subtomentosis cinerascentibus ramosis, axillis centrisque ramulorum subradiatorum terminalium nutantium subinde perforatis, fertilibus superne incrassatis cymae ad instar divisis, vel ramulis lateribus subtruncatis fructiferis; sporocarpiis aggregatis fuscis.

Cladonia rangiferina. Linn Syst. Veget. ed. Spr. l. c. p. 270.

Cladonia rangiferina  $\alpha$ . B. Schaer. Lichen. Helvet. Spicil. p. 38.

Cenonyce rangiferina. Achar. Syn. Lich. p. 277. et var. c. cymosa.

*Cladonia rangiferina.* Hoffm. Deut. Flor.

1795. p. 114.

*Icon.* Dillen. I. c. tab. XVI. fig. 29. A. B.

*Exsicc.* Schaeer. Lich. Helvet. exsicc. Fasc. IV.

no. 77. *Cladonia rangiferina*  $\alpha$ . *vulgaris*. R.

Funck. kryptog. Gewächse des Fichtelgeb.

no. 98.

Hab. ad terram in silvis, praesertim acerosis,

locis arboribus carentibus, totius Europae.

Prope Rostochium auf dem Cramonberge et

alibi.

*Descript.* Caespites mediocris magnitudinis  
biunciales et paulo maiores efformat, podetii ramosis ramosissimisque, ramis flexuosis subdivari-  
catis et implexis, inaequaliter perpaucum compres-  
sis, primiorum axillis perforatis. Podetiorum  
superficies subcinerea, hinc inde albo-maculata,  
laevigata quidem, oculo armato tamen scabriuscula  
videtur, imprimis aetate corrupta. Ramuli nume-  
rosi inferiores diyaricati, radiculis subarachnoideis  
brevissimis terminati, levissime inter se et corpus-  
culis adpropinquantibus adhaerent; ramuli ultimi  
subradiati, unciformes ad unumque latus nutantes,  
apicibus fuscis. Sporocarpia in podetii caespitum  
intermediis incrassatis breviterque et obtuse ramosis  
sessilibus vel in cymam, caespitem superantem,  
evehuntur, saepe numerosissima et nigro-fusca.

**Observat.** 1. Hanc vulgarem et respectu magnitudinis intermedium formam, sicut fas est, in primo speciei loco posui, ut ceterae variationes eo facilius inter se consociarentur.

*Obs. 2.* Exemplaria annosa proculcata peculia-  
rem praebent faciem. Podetia procumbentia  
curvata subinflata axillis hiantia, ramulis bre-  
vissimis subfurfuraceis copiosissime vestiuntur.  
— Cenom. rangiferinae var. grandaeva.  
Flörk. in litt. — In silva Rostocker Heide  
passim.

**Obs. 3.** Variat haec mediocris staturalae vulgarior forma apicibus vel dentibus tergeminis ramulorum nutantium dilute fuscis subrubellis, quam olim subvarietatem erythroocraeam in litt. dixi.

**Obs. 4.** Dillenii Histor. musei tabulae XVI.  
fig. 29. A et B specimina repraesentant ad  
varietatem *tenuem* aliquanto accendentia. De-  
lineationes praesentis  $\alpha$  et varietatis sequentis  
 $\beta$ . *majoris* genuinas in opere Dilleniano  
laudato classico prorsus desidero.

b. *lappacea*: caespitibus humilioribus, podetiis gracilibus cinereis ramosissimis implicatis, ramulis ultimis unciformibus intertextis sterilibus.

*Cladonia rangiferinae* var. *pumila*. Schaeff.  
Lich. Helvet. Spicileg. p. 38.

*Cenomyces rangiferinae* var. *s. pumila*? Ach.  
Syn. Lich. p. 278.

Hab. ad terram in silvis acerosis. Prope Bero-  
linum (in der Hasenheide 1806 —,) et circa  
Bernam Helvet. Schaefer.

*Observat.* De synonymo, ex Acharii Synopsi Lichen. allato, adhuc dubium manet, cum Auctor podetia alba dicat, quae ego tantum cinerea vidi.

\* $\beta.$  *major*: podetis longioribus crassioribus erectis parce ramosis, verruculosis subcinereis, ramulis ultimis subradiatis nutantibus, axillis centrisque omnibus perforatis.

*Cladonia rangiferina  $\alpha.$  vulgaris A. Schaeer.*

*Spicil. Lichen. Helvet. p. 58.*

*Cladonia rangiferina  $\beta.$  alpestris. Schrad.*

*Spicil. Flor. German.*

*Exsicc. Schaeer. Lichen. Helvet. exsicc. Fasc.*

*IV. no. 76.*

*Funck. kryptog. Gewächse d. Fichtelg. no.*

*219. Baeomyces rangiferinus  $\beta.$  alpestris.*

Hab. ad terram in silvis praecipue montosis ericetisque sterilibus totius forsitan Europae et in Groenlandia. Prope Rostochium in silva Rost. Heide.

*Descript.* A praecedente differt omnium partium habitu majore, at semper sterilis. Podetia 4—5 uncialia, superficie verruculosa fere subtomentosa, apicibus ramulorum ultimorum nigrofuscis, inferiorum in penicillum arachnoideum atrum terminantibus.

*Observat.* *Cladoniae rangiferinae var.  $\beta.$  in-*  
*crassata Schaeer. Lichen. Helvet. Spicil. p.*

58. *hujus varietatis specimina pumila apicibus imminutis exhibet.*

\**y. tenuis*: podetiis elongatis tenuibus ramosis erectis subcinereis, ramulis ultimis nutantibus, fertilibus paulo validioribus in cymam sporocarpiorum abeuntibus.

Hab. ad terram in pinetis. Prope Rostochium frequentissima.

*Descript.* Caespites intricatos late extensos offert. Podetia triuncialia vix lineae dimidium crassa, fertilia quandoque dimidio validiora, erecta quidem sunt, saepe tamen flexuosa, ramis implicatis. Ramuli subradiati curvati apice denticulis tergeminis fuscis nutantibus coronati. Ramorum inferiorum et intermediorum ramuli rectiusculi et divaricati. Axillas centrumque ramulorum radiatim divergentium (exceptis gracillimis) subperforata video.

*Observat.* Quoad habitum maxima variationum cohors hanc var. *tenuem* cum varietate *a.* connectit; si colorem respicias per gradus appropinquantes cum sequente var. *flavicante* confluit.

\**b. flavidans*: podetiis elongatis erectis tenuibus flavidis, ramulis ultimis nutantibus fuscis.

Hab. iisdem cum priore locis, et itidem per quam vulgaris.

*Descript.* Statura, tenuitate, sporocarpiorumque situ a priore haud recedit; differt tantum colore.

1288

\*c. *decumbens*: podetiis brevibus gracilioribus ramosissimis implexis curvato — decumbentibus flavidis, ramulis terminalibus subradiatis nutantibus. Habitat ad terram locis apricis exaridis prope Rostochium.

\*d. *fuscescens*: podetiis ramisque primariis subflexuosis albis, ramulis omnibus nutantibus cinereo-fuscis.

Hab. cum prioribus.

**Descript.** Caespites subbiunciales parum implexi. Podetiorum ramuli unciformes magis minusve fuscescentes.

\*d. *alpestris*: podetiis albis substramineis molliusculis verrucosis ramosissimis, ramis ramulisque implexis, terminalibus thyrum densum formantibus, apicibus omnibus subdivaricatis rectiusculis subconcoloribus.

Cenom. silvaticae var. *alpestris*. Flörk.

Deut. Liehen. VIII. p. 14.

Cen. rangifer. γ. *alpestris*. Achar. Syn. Lich. p. 278. Lichenogr. univ. p. 564.

**Icon.** Dillen. H. M. tab. XVI. f. 29. E. F.

**Exsicc.** Fl. Deut. Lich. no. 157.  
Hab. ad terram in silyis acerosis, praesertim montosis, Germaniae, Helvetiae cet. Prope Berolinum, Rostochium alibique haud rara.

*Descript.* Podetia 1 — 3 uncialia superne ramosissima, ramulis frequentissimis, quasi thyrsum subglobosum formantibus. Perforationes axillarum majorum rariores, sed valde tamplae, et foramen ipsum cingunt rami radiatim dispositi. (Cfr. Dillenii cit. fig. E.)

*Observat.* 1. Exemplar, e Brasilia adlatum, Helveticō parum tenerius laxiusque contextum est ramulis ceterum tenuissimis divaricatis rectiusculis apicibus denticulatis, denticulis tergeminis concoloribus vel nigris vel cephalodia permixta fusca globosa solitaria, gemina vel tergemina coadunata gerentibus. Podetia cinereo-flava verruculis minutissimis albis, a subjacente massa glabra secedentibus, punctata sunt, ut quasi decorticata adpareant, quod simili modo et in aliis hujus speciei varietatibus, statu vetustiore, observatur, verruculis tantum majoribus.

*Obs. 2.* Exemplaria Groenlandica, a Comite Raben advecta, dilute flava, aetatis progressu cinerascentia, partibus omnibus validiora sunt et subtomentosa, denique simili modo verruculosa. Podetia ceterum ramosissima implexa, ramulis numerosissimis ultimis tergeminis brevissimis, cephaladio nigro minutissimo terminatis. Axillae majores, sicut in Brasiliensi et Europaeis perforatae,

\*b. *spumosa*: podetiis brevibus inflato-incrassatis subtomentosis cinereis, ramis abbreviatis ramulis numerosissimis brevissimis albido-cinereis, pulvinulos quasi spumosos referentibus.

Hab. ad terram in silvis. Prope Rostochium,  
in der Heide, rarius.

**Descript.** Podetia hujuscē submonstrosae, sicut  
videtur, variationis uncialia — biuncialia, at cras-  
siora, quam in alia specie varietate. Praecedenti  
variet. δ. alpestri proxime quidem accedit, differt  
tamen colore cinereo et ramulis brevissimis glo-  
meratim congestis; pulvilos spūmosos mentientibus.

\**e. sylvatica*: podetiis elongatis erectis gracilibus  
verruculosis glabriusculis albis substramineis  
ramosis, axillis ramulorumque radiotorum sub-  
nutantium centris perforatis, sporocarpiis cymo-  
sis sparsisque fuscis.

Cladonia rangiferina γ. *sylvatica*. Schaeer.

Lich. Helvēt. spic. p. 58. Hoffm. Flor.

Germ. p. 114.

Cenomyce *sylvatica*. Flörk. Deut. Lich.

IV. p. 12.

Cenom. *rangiferina* β. *sylvatica*. Ach. Syn.

Lich. p. 277. Lichenogr. univers. p. 564.

**Icon.** Dillen. H. M. tab. XVI. fig. 30. B. (ra-  
mulis ultimis parum accurate delineatis).

**Exsicc.** Deut Lich. no 76.

Habitat ad terram cum praecedentibus. In pi-  
netis circa Berolinum et Rostochium vulga-  
tissima.

**Descript.** Caespites late expansos efformat, podetiis 2 — 3 uncialibus, erectis gracilibus ramosis superne ramosissimis albis vel albo-stramineis, superficie, in statu vetustiore parum verruculosa, et oculo armato adspecta, subtomentosa, tamen cum praecedente ( $\alpha$ ) comparata, glabriore, et verruculis planioribus. Podetiorum rami inferiores denique imminuuntur intermoriunturque, tunc superiores eo magis multiplicantur ramulis terminalibus radiatis rectiusculis vel subnutantibus, centris eorum axillisque perforatis, interdum hiantibus. Sporocarpia cymosa vel sparsa, saepe ad apicem podetiorum fertilium incrassatum aggregata confluentia, dilute vel obscurius fusca.

**Observat.** 1. Podetia, siccitate casu fracta, subinde ad laesurarum oras sporocarpiorum crescentium copia submonstrosa operiuntur.

**Obs.** 2. Variat 1) podetiis dilute flavidis, quam subvarietatem xantholeucam dixi, et 2) podetiis glaucescentibus, — quae coloris variationes in museo subinde eyanescunt.

\*b. *polycarpia*: podetiis brevioribus gracilescentibus, apicibus ramulorum omnium fertilibus.

Hab. locis indicatis cum priore.

\*c. *sphagnoides*: podetiis erectis ramosis, ramis ramosissimis, ramulis ultimis confertissimis dense congestis subnutantibus sterilibus.

Hab. cum prioribus, etiam prope Ahrensberg,  
in Magno Ducatu M. Strel.

*Descript.* Podetia 5—4 uncialia erecta gra-  
cilia dense aggregata sphagni caespitibus subsimilia.  
Cenom. silvaticae var. *condensata* Flörk. (in litt.)  
hujus variationis juniores statum praebet.

\*d. *grandis*: podetiis majoribus crassis ramosis  
flexuosis ramis ramosissimis, axillis centrisque  
hiantibus, ramulis ultinis subnutantibus, sporo-  
carpiis sparsis vel cymosis.

Hab. ad terram in silvis acerosis, in vicinitate  
Rostochiensi, rarius.

*Descript.* Podetia 4—5 uncialia, 3 lin. crassa,  
habitu, excepta magnitudine, colore et superficie  
natura formae vulgatori mediocris staturali, sub  
nomine varietatis silvaticae notae, omnino respon-  
dent, partium magnitudine verum ab ea recedunt.

*Observat.* Haec variatio a Cladoniae rangife-  
rinae varietate *majore* toto coelo diversa vi-  
detur, ut pro specie distincta olim habuerim  
et adhuc haberem, nisi variationes innumerae,  
sensim sensimque appropinquantes, transitum  
ab una forma extrema ad alteram demon-  
strarent.

e. *erosa*: podetiis subdecumbentibus ramosis cur-  
vatis compressiusculis sublacunosis, papilloso-  
denticulatis, passim fissis et hiantibus, ad aper-  
turarum oras erosio-dilaceratis, sterilibus.

Hab. ad terram in pinetis prope Gryphiswaldam.

Laurer.

*Observat.* Variatio haec forsitan morbosa, Ramalinae pollinariae Achar. non assimilis, accuratius contemplata, certe ad Cladonae rangiferinae varietatem sylvaticam pertinet, etsi a varietate  $\alpha$ , rangiferina ipsa perquam aliena videretur.

58. *CLADONIA aggregata*: podetis erectis ramosis glabris pallido-castaneis, ramulorum ultimorum apicibus stellato-dentatis, centris axillisque subperforatis, fertilium apotheciis aggregatis conglomeratis fusco-nigris.

*Cladonia aggregata.* Linn. Syst. Veg. ed.

Spr. l. c. p. 270.

*Cenomyce aggregata.* Achar. Syn. Lich. p. 275. Lichenograph. univ. p. 563.

*Baeomyces aggregatus.* Method. Lichen. p. 555.

*Coralloides Gorgonia.* Bory de St. Vinc. Voy. III.

*Lichen aggregatus.* Swartz. Flor. Ind. Occ. III. p. 1915.

Hab. in India Occidentali Brasiliaque ad terram inter muscos in silvis montium altissimorum (v. s.)

*Descript.* Thalli in exemplaribus adultis nullum vestigium restat, nec squamulae adsunt, e

quibus ejus indoles aliquatenus dijudicari posset. Podetia 1—4 uncialia et majora erecta subtereta glabra cinereo- vel pallido-castanea, apicibus subconcoloribus vel nigris, ramis lateralibus patentibus brevibus iterumque ramulosis implexis, sterilibus, apice subulatis furcatis vel stellatim dentatis, centris axillisque saepe perforatis, interdum hiantibus; fertilibus majoribus crassioribus erectoribus. Sporocarpia ut plurimum conglomerata fusco-nigra.

*Observat.* 1. A *Cladonia stellata*, cui habitu proxima, colore diverso statim dignoscitur.

*Obs.* 2. Exemplaria Brasiliensia diversae magnitudinis sunt, usque ad 5-uncialem. Ramuli minorum divaricati gracillimi, eorumque centra axillaeque vix perforata; majorum multo crassiores, axillis late hiantibus centrisque perviis. Podetiorum superficies cphaerens laevigata, tantum in vetustis subverrucosa epidermide in papillulas plano-convexas, arcte substantiae subjacenti fuscæ appressas, secedente.

\*39. *CLADONIA stellata*: podetiis elongatis sub-dichotomo-ramosis laevigatis subnitentibus stramineis ramis subulatis vel ramulosis, ramulis brevibus, stellatim patentibus, omnium dentibus ultimis fusco-nigrescentibus; fertilibus superne incrassatis cymoso- vel radiatim divisis, centris axillisque subhiantibus; sporocarpiis aggregatis fuscis.

A. 1792

*Cladonia stellata.* Schaeer. Lichen. Helvet.

Spic. p. 42. (exclus. var.  $\delta$ . turgida.)

*Cenomyce uncialis.* Flörk. Deut. Lich. VIII,

p. 13.

*Cen. uncial.* Ach. Syn. Lich. p. 276. et *Cen.*

*uncialis* var. *adunca*. ibid. p. 277. (partim).

*Cladonia uncialis.* Hoffm. Deut. Flor. p. 117.

et *Clad. ceranoides.* ib. p. 116.

*Icon.* Dillen. Hist. M. tab. XVI. fig. 21. A. f.

22. A — D.

*Exsicc.* Fl. Deut. Lich. no. 155. *Cen. uncial.*

Schaeer. Lich. Helvet. exsicc. Fasc. IV. no.

82. (*Clad. stellata*  $\alpha$ . *uncialis*) et no. 85.

(*Clad. stell.*  $\gamma$ . *obtusa*) *Juniora exemplaria*  
et *sterilia*.

Funk. krypt. Gewächse cet. XXV. no. 519.

*Cenom. uncialis* (*Podetia juniora subsubulata*).

Hab. ad terram in pinetis Germaniae, Helvetiae,

Sueciae cet.

*Descript.* Caespites densos latosque offert, podetii 2 — 3 uncialibus laevigatis subnitentibus stramineis rarius virescentibus, basi apicibusque fuscis, nunquam foliolis sive squamis adpersis. *Podetia* subcylindrica quidem sunt, tamen paululum ventricosa, ceterum subdichotomo- parum ramosa. *Podetiorum* ramorumque apices subulati

vel coronati ramulis 3 — 6 dentiformibus stellatim patentibus, et centro pervio; majorum apices in radios iterum apice subcristato-dentatos exeunt, denticulis ultimis nigris, radiorum centro foramine orbiculari hiante. Podetia fertilia superne incrassata divisa ramulis cymosis vel radiatim patentibus, (centro orbiculatim pervio,) omnibus fructiferis. Sporocarpia conferta, saepe confertissima subconglomerata, dilute carneo-fusca, subinde fusco-nigra.

*Observat. 1.* Vulgatiorem hic descripsi formam completam statura mediocri, cui varietatum primus de jure debetur locus. Exemplaria pure subulata, hujus speciei lichenem cornutum referentia, etsi vulgatissima, a quibus olim speciei *uncialis* nomen mutuatum videtur, (cum saepe unciali sint magnitudine,) nullius esse momenti censeo, ideoque libenter novum, a Clar. Schaeerero electum, adoptavi nomen.

*Obs. 2.* Dillenii tab. XVI. f. 22. A, B, C, juniora repraesentant exemplaria, D magis evolutum, omnia tamen minutula. Figurae E, F, G proculcatione laesa corruptaque exhibent exemplaria, quae silentio praetermittenda sunt. Fig. H ad Cladoniam squamosam citavi, cum Cladonia stellata nunquam squamis adspersa sit, etiamsi in quibusdam podetiis annosis superficies tuberosa vel potius papulosa observetur.

*Obs. 3.* Fig. 21. A. adultum exemplar, sterile tamen, offert, male ab Hoffmannio (in

mit Flor. Germ. p. 116.) Cladoniae uncinatae (cenoteae nostrae) attributum, — Haec dicta forma (Dill. t. XVI. f. 21. A.) ad podetiorum ramorumque confertorum apices denticulis numerosis divergentibus quandoque coronatur, quam variationem Cladoniae stellatae varietatem *polycraeam* dicere, si peculiare nomen ei opus esset.

**Obs. 4.** Podetiorum ramorumque apices passim fungillo parum intumescente fusco-atro, Xylomat. acerini Pers. habitu, adsperguntur. Cave ne variationi huic morbosae varietatis ejusdam imponas nomen.

**Obs. 5.** Variat ceterum podetiis minutis et subgiganteis, gracilioribus et crassioribus, simpliciusculis ramosioribusque, de quibus tractatio diligentior supervacanea videtur. Tantum sequentis mentionem facere sufficiet.

\*b. *grypea*: podetiis majoribus crassis flexuosis subdecumbentibus, simpliciusculis, ramis subfastigiatis, apicibus subulatis furcatis vel stellatim dentatis, fertilium apicibus cymoso-divisis, centris axillisque hiantibus; sporocarpiis aggregatis et subconglomeratis.

Cenomyce uncialis var. b. adunca. Achar.

Syn. Lich. p. 277. (partim.)

Baeomyces aduncus β. *grypeus*. Ej. Method.

p. 353.

Cladonia biuncialis. Hoffm. Flor. Germ.

p. 116.

Icon. Dillen. Hist. M. t. XVI. f. 21. B.

Hab. ad terram in ericetis et pinetis Germaniae, Lapponiae.

**Descript.** Cum priore convenit, excepta magnitudine 5 - unciali, validitate et podetiis simplicioribus, quorum rami plerumque fastigiati observantur.

40. **CLADONIA vermicularis:** podetiis subuliformibus subsimplicibus laevibus albissimis flexuosis prostratis.

Cladonia subuliformis. Linn. Syst. Veg. ed.

Spr. l. c. p. 270.

Cladonia vermicularis a. Schaeer. Lichen.

Helvet. Spicil. p. 44.

Cenomyce (?) vermicularis Achar. Syn.

p. 278. Lichenogr. univ. p. 566.

Baeomyces vermicul. Ach. Meth. p. 359.

Wahlenb. Flor. Lappon. p. 458.

Cladon. subuliformis Hoffm. Flor. Germ.

p. 118.

Lichen subuliformis. Ehrh. Beytr. III.

p. 82.

**Icon.** Hoffm. Plant. lichen. tab. XXIX. fig.

1 — 3. (Clad. subul.)

Dickson. Crypt. Brit. II. t. 6. f. 10.

**Exsicc.** Ehrh. Plant. crypt. Dec. III. no. 30.

Schräd. system. Samml. krypt. Gewächse.

no. 128.

Schaer. Lich. Helvet. exsicc. no. 86.

(Clad. vermicularis  $\alpha$ . subuliformis.)

Hab. ad terram graminosam muscosam in alpibus culminibusque montium editioribus praesertim petrosis totius forsae Europae.

In monte Achtermannshöhe Hercyniae parvus legi, in alpibus Salisburgensibus tantummodo varietatem tauricam vidi, eamque vulgatissimam.

**Descript.** Thallus deest, nisi verruculae subpulverulentae rarius sparsae pro thallo sumi debeant. „Caespites ex caulinis sine ordine implexis, vel simplices tubuli muscis intertexti, varia longitudine (unciales — triunciales) teretes, lineares, flexuosi, sensim acuminati, basi simplices, apice quandoque, sed rarius, bifurcati. Brevisimi hinc inde laterales ramuli exeunt, saepe tuberculatis, ad latera sitis, non absimiles. Color in siccitate albissimus. Substantia intus cava, fragilis in sicco, tenax ac flexilis humectata. Senex vel destructa planta etiam basi tubolorum fit cinerea.“ Hoffmann. Pl. lich. I. c.

**Observat.** 1. Sporocarpiorum defectu, quae nullus adhuc observavit, genus in dubio manet, et Acharius plantulam nostram in opere suo posthumo, at nondum edito, cui titulus „Victoria (!) Lichenum“, Thamnoliam vermicularem dixisse fertur. Facies

interea podetiorum Cladoniis, præsertim fruticulosis, adeo congrua, ut de speciei cum iis affinitate minime dubitandum videatur.

**Obs. 2.** Planta, in Clar. Kunthii Synopsi Plantarum, quas in itinere ad plagam aequinoctialem orbis novi collegerunt Alex. de Humboldt et Am. Bonpland — sub nomine *Cenomyces vermicularis* descripta, ab hac forsan distinguenda, cum amara sit, et sub nomine Hispan. *Contrayerbae blancae* ad stomachum curandum adhibetur. *Cladonia vermicularis* Europaea insipida est.

**b. taurica:** podetiis erectiusculis caespitosis ventricoso-subulatis, subramosis, apicibus saepè recurvis.

*Cladoniae vermicularis* var. *taurica*. Schaeer.

Lich. Helvet. spicil. p. 44.

*Cenom. vermicul.* b. *taurica*. Achar. Syn.

Lich. p. 279. Lichenogr. univ. p. 566.

*Cladonia taurica*. Hoffm. Flor. Germ. p.

118. Ej. Plant. Lichen. II. p. 58.

*Lichen tauricus*. Wulf. in Jacq. Collect. II. p. 177.

*Lichen tubulatus*, nivei fere candoris, ramosus, apicibus recurvis acutis. Scheuchz.

It. Alp. II. p. 157. Dillen. Hist. M. p. 91.

**Icon.** Hoffm. Plant. Lich. tab. 54. f. 2.

Wulf. in Jacq. Coll. II. tab. XII f. 2.

Dillen. Hist. Musc. tab. XV. f. 14. E.  
(Exemplar Helveticum, a Scheuchzero  
missum, repraesentans.)

*Exsicc.* Funck. kryptogam. Gewächse. III.

no. 72.

Hab. ad terram inter rupes Alpium Europaearum aliorumque montium editiorum. „Bildet ansehnliche Rasen auf Granitträmmern auf dem Schneeberge.“ Funck. I. c.

*Descript.* De thallo et sporocarpiis nihil notum. Podetia aggregata adscendentia uncialia sescuncialia, ut prioris fistulosa, molliuscula subtractabilia, albissima, quandoque tamen virescenti-albida. Ventricosa quidem sunt at modice, apicibus subulatis, simplicissima aut parum ramosa ramis saepe perbrevibus. Superficies podetiorum inaequabiliter subcompressa passim gibberosa et scrobiculata.

c. *glebosa*: podetiis glebosis, apicibus subulatis curvatis. Schaer. Lich. Helvet. Spicil. p. 44.

Hab. ad terram in monte Gemmi Helvetiae, ubi a Clar. Schaeerero detecta est.

*Descript.* Secundum Auctorem laudatum glebulis constat variis, e quibus ramuli prodeunt breves et subulati. Mera utique monstrositas esse videtur, casu aliquo orta; anne vero glebuli thalli naturam habeant, nescio.

B. *Podetiis latere terebratis, axillis apicibusque imperforatis.*

41. **CLADONIA terebrata:** podetiis ramosis fistulosis subcompressis subnitentibus pallido-cinereis terebratis; sterilium ramulis gracillimis divaricatis subimplexis, fertilium crassioribus et brevioribus; sporocarpis subpodiellatis acervatim aggregatis nigris.

Hab. ad terram in Brasilia. Martius.

(Communicavit am. Dr. Laufer).

**Descript.** Podetia fistulosa, subuncialia, flexuosa ramosa pallide fusco-cinerea, subvirescentia. Majora et fertilia  $\frac{1}{2}$ — $\frac{3}{4}$ , sterilium rami vix  $\frac{1}{4}$  lin. crassa. Laevigata quidem sunt immo subnitida, subcompressa tamen et terebrata, foraminulis sparsis ovalibus, rarioribus vel crebrioribus, praesertim in majoribus, quorum pori lineae dimidiatae partem hiant et interstitia ferè aequant, ramulis gracilioribus subintegris, vel tantum stigmatibus minutissimis paucisque perforatis. Sporocarpia ad apices ramulorum ultimorum omnium acervatim aggregata minutissima, acervulis fastigiatis, per lentem vitream obconica sunt marginata et fusco-nigra.

**Observat.** Quum exemplaria, quae videre mihi licuit, omnia fracta et mutilata essent, speciei habitus absolutus non penitus mihi

innotuit; sporocarpia quoque tantummodo statu suo juvenili observavi.

42. CLADONIA *Cornicularia*: podetis flexuoso-erectis, fistulosis nitidis, fusco-castaneis lacunoso-parum compressis terebratis passim fissis; ramis ramulisque abbreviatis patentibus, apice furcatis, subconcoloribus; sporocarpiis —.

Cenomyce *Cornicularia*. Laurer in litt.

Hab. ad terram in Brasilia. Martius. (Comunicavit am. Dr. Laurer).

*Descript.* Habitu *Corniculariae aculeatae* Achar. tantopere accedit, ut aegre ab ea distinguiatur, nisi podetia inania sive fistulosa, latere foraminulis terebrata, hinc inde fissa, essent, contra quod *Corniculariae dictae stipites thalloides* massa medullari albissima farcti observantur. Unciali podetia sunt magnitudine, lineam et sesquilineam crassa, praesertim axillis, quae magis extenduntur, ceterum lacunoso-subcompressa et subangulosa, angulis obtusis. — Foraminum ovalium, quibus podetiorum latera terebrata sunt, fissurarumque margo introrsum incurvescit, saltem in sicco. Sporocarpia thallusque adhuc ignota.

*Observat.* Ramos quosdam per lentem villis brevibus nigris parce vestitos observeo, simili modo, multo verumtamen subtilius, ac *Corniculariae aculeatae* rami saepe denticulis capillaceis hispidi conspiciuntur.

43. **CLADONIA retipora:** thallo subcrustaceo granulato imbricato (Achar.), podetiis crassis glabris subhyalinis, intus substupposis, undique reticulato-pertusis, albis vel albido-sulphureis, deinde subcastaneis, ramulis terminalibus apice papillatis; sporocarpiis patellaformibus marginatis concoloribus, denique fusco-atris.

Cenomyce retipora. Achar. Syn. p. 248.

Baeomyces retiporus. Labillardière Nov.

Holland. Pl. Spec. II. p. 110. tab. 254. f. 2.

Hab. ad terram in promontorio Cap van Diemen, Novae Hollandiae. (vid. sicc.)

**Descript.** Thalli granula nitida imbricata (Acharius). Podetia subbiuncialia confertissima divisa, superne ramosiora, una cum ramulis itidem crassis reticulatim sive cancellatim undique pertusa, Flustrae alicui non absimilia. Pori in ramulis junioribus minutissimi, in podetiis crassioribus crassitie setae suillae et multo ampliores. Podetiorum perforatorum licia, cancellatim contexta, parum compressa sublacunosa nitida, substantia eorum interna laxe filamentosa. Apices ramulorum obtusi, in papillulas 3-4 fuscescentes exeuntes, densius congesti sunt. Sporocarpia in ramulis lateralibus provenientia, subpodicillata plana marginata cerina subhyalina, denique

(Achario teste) „intumescentia capituliformia ventricosa compræssa, ambitu reflexa, atra.“

*Observat.* Si thalli habitum ejusque naturam internam consideras a Cladoniarum familia magnopere abhorrent; sporocarpia tamen, quoad habitum externum generis indolem ostendunt.

Cenomyce? *ceratites* Achar. Syn. p. 279. *Baeomyces ceratites* Wahlenberg. Flor. Lappon. p. 459. secundum sporocarpiorum, nunc a Clar. Sommerfeltio detectorum, naturam generis *Dufoureae* species est.

ILLINO D EX  
SPECIERUM, VARIETATUM SYNONYMORUMQUE  
NONNULLORUM.

Baeomyces	Pag.	Cenomyce	Pag.
abietinus	18	damaecornis	24
cornutus	60. 85	denticulata	104
euphoricus	36	deformis	105
gerontius	36	ecemocyna	31
quercinus	7	exilis	53
rubiformis	69	exoncera	40
<hr/>		fimbriata	55
<b>Cenomyce</b>		firma	99
acicularis	111. 114	gentilis	25
actinosa	62	gonecha	105
adunca	172	gonorega	41
allotropa	129	holosetrista	62
apolepta	64	leucochlora	34
apoticta	58	lomagona	58
asotea	93	lophyra	51
bacillaris	111	lumbricalis	113
bolacina	125	macra	53
brachiata	126	merista	55
brachytes	104	monstrosa	104
Candelabrum	116	nivea	49
cephalotes	104	obtusata	125
ceratites	182	oxyceras	110
ceratophylla	68	parecha	116
cercophora	39	phylophora	24
cervicornis	28	pleurota	107
cetariooides	121	rostrata	38
coccocephala	95	sparassa	129
conista	51	stricta	40
contortuplicata	63	subulata	40
coralloidea	17	sulphurina	96
cornucopioides	90	turbanata	33
corymbosa	40	vestita	98

*acuminata*  
*adspersa*

Cladonia	X Pag.	Cladonia	Pag.
abortiva	65	Cornicularia	180
actinota	78	corniculata	118
aggregata	170	coronata	7
alcicornis	23	Cornucopiae	26
alpestris	165. 163	cornuta	59. 115
amaura	52	corymbiformis	113
amaurocraea	119	costata	66
ampullifera	98	crenulata	105
anomoea	43	crispata	148
anthocephala	57	crispatella	148
Arbuscula	152	cymosa	144
aspera	40	decorticata	10
asperella	132	decumbens	165
bellidiflora	95	deformis	105
biuncialis	174	degenerans	41
blastica	150	delicata	7
botrytes	18	dendroides	60
caespiticia	8	denticulata	55
capitata	20	dichotoma	46
capreolata	73	dicraea	122
cariosa	11	digitata	102
carneo - pallida	67	dilacerata	57
carpophora	56	dilatata	27
cenotea	125	Dilleniana	158
centralis	93	elongata	58
ceranoides	172	endiviaefolia	25
ceratodes	77	epiphylla	8
cerucha	104	erosa	169
chlorophaea	70	erythrocrea	162
chordalis	34	euphorea	43
cladocarpia	63	excelsa	84
cladomorpha	81	expansa	68
clavata	112	extensa	89. 92
clonoides	100	fastigiata	62
coccifera	89	ferulacea	157
coccinea	90	Fibula	65
coniocraea	84	filiformis	100. 110

*fissa* 75

*attenuata?*

*cyathella*

*lect. dichotoma*

p. 148

Cladonia	Pag.
fissa	151
flavicans	164
flavo-viridis	158
floripara	36
Förkiana	99
foliacea	24
foliosa	17. 159
fruticulosa	74
furcata	141
fusca	8
fuscescens	165
glauca	140
glebosa	178
gracilenta	99
gracilescens	48
gracilis	30
grandaeva	162
grandis	169
grypea	174
haplotea	42
hololepis	85
hyalinella	59
hybrida	33
implexa	146
incrassata	21. 157
innovata	95
ionosmia	65
lactea	154
lappacea	162
lepidophora	75
lepidota	46
leptophylla	19
leucophylla	101
longipes	52
lophura	51
macroceras	38
macilenta	110

Cladonia	Pag.
major	163
medusina	123
multibrachiata	133
myriocraea	124
nana	79
neglecta	49
nemoxyna	63
nivea	158
ochracarpia	95
ochrochlora	59. 75
odontota	78
palmata	92
papillaria	5
paraphyomena	78
parasitica	7
pellucida	82
peltaea	20
persoliata	30
phyllocoma	94
phyllophora	25. 28
phyllstrota	79
phyllotoca	87
pityrea	79
pleolepis	45
pleurota	89. 106
plumosa	15
Pocillum	72
polycarpia	168
polycephala	97
polycerata	63
polychonia	136
polycraea	174
polydactyla	108
polypaea	47
polyphylla	155
polyscypha	71
procerior	157

irregularis

holosetistis

**Cladonia**

<i>prolifera</i>	Pag. 27, 57, 58
<i>pterygota</i>	69
<i>pulvinata</i>	106
<i>pungens</i>	156
<i>pyxidata</i>	51
<i>racemosa</i>	152
<i>racemosella</i>	152
<i>radiata</i>	61
<i>rangiferina</i>	160
<i>rangiformis</i>	156
<i>recurva</i>	147
<i>regalis</i>	154
<i>retipora</i>	181
<i>sanguinea</i>	22
<i>scabrosa</i>	47
<i>silvatica</i>	147
<i>simplex</i>	55
<i>sorediata</i>	152
<i>spadicea</i>	146
<i>spiculata</i>	124
<i>sphagnoides</i>	168
<i>spinosa</i>	153
<i>spumosa</i>	166
<i>squamosa</i>	129
<i>squamosissima</i>	152
<i>stellata</i>	171
<i>stipata</i>	16
<i>straminea</i>	87
<i>strepsilis</i>	14
<i>subulata</i>	143
<i>subuliformis</i>	175

**Cladonia**

<i>sympycarpia</i>	Pag. 15
<i>taurica</i>	177
<i>tenellula</i>	155
<i>tenuissima</i>	143
<i>terebrata</i>	179
<i>tomentosula</i>	113
<i>trachyna</i>	44
<i>truncata</i>	77, 145
<i>tubaeformis</i>	55
<i>tuberculosa</i>	13
<i>turgida</i>	115
<i>uncialis</i>	172
<i>uncinata</i>	126
<i>valida</i>	35
<i>ventricosa</i>	97, 109, 129
<i>vermicularis</i>	175
<i>verticillata</i>	26
<i>viminalis</i>	128
<i>xantholeuca</i>	168

**Lichen**

<i>agariciformis</i>	Pag. 9
<i>caespitosus</i>	150
<i>cornutus</i>	60, 85
<i>fimbriatus</i>	67
<i>hybridus</i>	21
<i>phyllophorus</i>	25
<i>pyxidatus</i>	35
<i>sympycarpus</i>	9
<i>valida</i>	35
<i>vestita</i>	98

Ps. 11. zerstörter Standort.

John A. Thompson

STEVENSON MYCOLOGICAL LIBRARY  
Smithsonian Institution

